



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Historiæ Societatis Jesu Pars ...


Complectens Res Gestas Sub Mutio Vitellescho ... Ab Anno Christi MDCXVI.
Societatis LXXVII. / Auctore Julio Cordara Societatis Ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCL

Historiæ Societatis Jesu Partis Sextæ Liber Octavus Annus Chr. 1623. Soc.
84.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98108](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98108)



HISTORIÆ

SOCIETATIS JESU

PARTIS SEXTÆ

LIBER OCTAVUS

ANNUS CHR. 1623. SOC. 84.



Nno quem ingredimur sæculi vigesimo tertio, postridie No-
nas Julii, gravem ordini nostro mœrorem creavit obitus
Gregorii XV., qui Pontifex cum esset erga nos egregie
animatus, & sæpe multis maximisque Societatem ornasset
beneficiis, optandum sane nobis erat ut quam diutissime
viveret, aut saltem ne tam brevi spatio regnaret. Ægro-
tanti adfiterunt usque ad extremum delecti e nostris Patres.
Cum vero Cardinales novendiale funus solemnè ritu cele-
brarent, ad eos orationem luculentam de Gregorii laudibus habuit P. Fama-
nus Strada, quo non alius fortasse tunc Romæ latina eloquentia præstantior.
Corpus post aliquot annos translatum est e basilica Vaticana ad S. Ignatii, ubi
commune sepulchrum est familiæ Ludovici. Visitur ibi nunc mausoleum opere
insigni, quod postremis temporibus memor beneficiorum Societas, tum Gre-
gorio ipsi Pontifici, tum ejus fratris filio Ludovico Cardinali Ludovico tem-
pli ejusdem fundatori munifico posuit. Utque uno velut obtutu admonearis de
duobus maximis & immortalibus beneficiis, quæ illis debet Societas, inter utrius-
que loculos e lecto marmore, & simulacra pulcherrima, legitur aureis litteris
lemma: *Alter Ignatium aris, alter aras Ignatio*: quo non argute minus quam
breviter indicatur, a patruo decretos fuisse Ignatio sanctorum honores, a ne-
pote templum istud augustæ molis excitatum fuisse. Cæterum Pontificis optimi
desiderium ex magna parte lenivit successor Urbanus VIII., antea Maphæus
Barberinus. Et propriæ fuerunt Societati causæ, cur hujus electionem viri sibi
maxime gratularetur. Educatus enim apud nos in collegio Romano, & poli-
tioribus litteris multum excultus, contractam a puero consuetudinem cum no-
stris hominibus nunquam deinde, licet annis & honoribus auctus, intermise-
rat, & quantum præstabat in poetica facultate, tantum delectabatur usu com-
mercioque nostrorum, quorum in hoc genere judicium exquirebat sæpe, &
plurimi faciebat. Præcipua illi familiaritas cum P. Hieronymo Floravantio,
tunc domus Professorum moderatore: quem proinde vix Pontifex renunciatus
arbitrum nominavit conscientiæ suæ, & in ædes Pontificias transire jussit, assi-
gna-

1.
RES ROMANÆ.
Mortitur Gre-
gorius XV.

2.
Ejus sepul-
chrum in æde
S. Ignatii.

3.
Gregorio suc-
cedit Urbanus
VIII. Ejus er-
ga Societatem
benevolentia.

4.
Adfiscit sibi
a confessionibus
P. Hieronymum
Floravantium.

5.
Romæ P. Gravitam in magna annona penuria pauperum curam gerit.

6.
Gravi morbo corripitur. Vota sodalium oratorii pro salute ipsius.

7.
Infelix status eujusdam Parthenonis in Hetruria.

8.
Nostrorum opera virgines ab infestis spiritibus liberantur.

gnatis ad habitandum cubiculis, & pensione annua ad vivendum constituta. Metuebat Floravantius splendorem aulae periculosum, nec facile inducebat animum, ut vellet extra ordinis disciplinam vivere. Tamen monitus id ita fieri oportere, morem gessit benevolo Pontifici, & in Vaticanum palatium immigravit. Ante quam hæc agerentur, magna fuerat Romæ caritas annonæ, quodque inde consequi solet, periculum ingens amplissimæ civitatis, vagantibus per urbem gregibus egenorum squalidis, feminudis, fame propemodum eneectis, & ad opes ditiorum respicientibus. Vagam, & formidolosam multitudinem collegerat Gregorius Pontifex intra ædes palatii Lateranensis usque ad quingentos, & si quid amplius; omnemque illorum curam commiserat P. Petro Gravitæ, de quo a nobis alibi facta mentio. Provinciam difficilem non detrectavit vir apostolici spiritus. Sodales oratorii sui ad rem strenue capeffendam cohortatus, impositam procurationem suscepit. Adjutus autem a sodalibus opera, & pecunie subsidiis, totam illam ærumnosorum turbam non solum aluit, verum etiam novis indumentis texit, ad pietatem incitavit, nec ante dimisit, quam illato in urbem frumento, & laxata annonæ difficultate, civitas respiraret. At vir indefessus, dum opus adeo laboriosum exequitur, dum huc illucque sollicitus cursitat, parum ac prope nihil absuit, quin labori succumberet. Morienti vitæ spatium ampliavit precibus oratorii sodales: qui dum Gravitam afflicto morbo, jamque a medicis conclamatus jacebat, proposita palam incruenta hostia, supplicationem instituerunt horarum quadraginta, perstiteruntque fundendis pro ejus valetudine precibus, donec voti compotes effecti moderatorem suum incolumem receperunt. Ajunt, fuisse tunc e sodalibus duodecim optimi rectoris ac parentis sui studiosiores, qui præter adhibita in communi supplicia, voto se obstrinxerunt, profecturos peregrinantium ritu ad Virginem Lauretanam, si convalesceret: eosdemque, addunt, voti damnatos post Gravitam perfanatum, ea se religione exsoluisse. Hæc Roma.

Intra provinciæ Romanæ fines, ut alibi dictum est, continetur Hetruria. Jam vero in urbe nobili Hetruriæ (cujus nomen justas ob causas reticemus) collegium erat sacrarum virginum miserabili admodum conditione. Malorum dæmonum intemperis vexari ferebatur ab annis pluribus, andebanturque identidem nocturni strepitus & fragores, quibus miseræ virgines majorem in modum terrebantur. Exstabant etiam indicia minime dubia, sex minimum ex omni virginum numero ab infernis spiritibus possideri. Malo ut remedium adhiberet Antistes urbis, aliquos ad se mitti curavit Patres Societatis e collegio Florentino. Duo missi sunt idonei in paucis, & ejusmodi rerum apprimè gnari, Antonius Barisonius, & Franciscus Bertolinus; qui tamen comperto parthenonis statu, & rebus omnibus exploratis, facile intellexerunt, malorum minimum illud esse, cui curando fuerant evocati. Discordes inter se virgines, & in factiones divisæ, capitales exercebant simultates inexpiabili odio, tantum consentientes in contemnenda auctoritate Episcopi, cujus imperiis præfracte resistebant. Hoc mali caput præcipuum, hoc ex cœnobio sacrarum virginum receptaculum furiarum fecerat. Animum non desponderunt Patres, nec tot sanari posse vulnera desperaverunt. Una præsertim res spem faciebat, magna apud virgines de rebus nostris opinio, magna existimatio Societatis: cujus causa, & jam antea sibi patronos elegerant beatos Ignatium, Franciscum Xaverium, & Aloysium Gonzagam, & nunc de nostrorum adventu letitiam ingentem præferebant. Aggressi itaque ad opus, primum omnium curarunt, ut positis odiis moniales secum ipsæ in gratiam redirent: tum ut Episcopo suo se subicerent. Quæ duo, tametsi multi laboris temporisque fuerint, Deo tamen cœpta secundante, feliciter successerunt. Redintegrata concordia pristina, & obedientia erga præfides rite sancita, malos dæmones usitatis Ecclesiæ carminibus exagitare cœperunt. Notatum est, improbos commoveri gravius ferociusque, quoties beatorum, quos dixi, Ignatii, Xaverii, & Aloysii nomina invocarentur. Hoc ergo magis nostri illorum opem implorare, reliquias adhibere: nec frustra. Om-

Omnes paulatim depulsi fugatique sunt, excepto uno supra ceteros pervicaci. Hunc ore virginis eloquentem interpellabat unus ex Patribus, atque effari palam jubebat, qua tandem arte posset ex illo corpore extrudi? Infremuit scelestus, multumque tergiversatus, ad extremum: *Cogor*, inquit, *eloqui quod proditum nollem. Si vera charitas restoruerit, hic manere diutius non potero.* Quis locutus, clamorem misit adeo horrendum, ut viciniam pene omnem tremefecerit. Aderant circumfusæ ac trepidæ virgines, eoque dicto commotæ denuo sibi invicem de præteritis injuriis satisfecerunt. Quod non ferens fator discordiæ diabolus, momento erupit, diffracto prius cum horrifono strepitu quodam scamno, & alia conclavis supellestili foedum in modum subversa.

Inter acta provincia Neapolitanæ memorabile in primis magnæ utilitatis sodalium, quod olim Theati in collegio Societatis erectum, inde sensim dilapsum, hoc anno ad institutionis suæ formam est restitutum. Diversi civium ordines in sodalium adlecti fuerunt, institutumque ut per singulas hebdomadas tres seorsum conventus celebrarentur, unus nobilium, opiticum alter, tertius Presbyterorum. Convenientes suis diebus sodales, horæ saltem dimidium dabant meditationi piæ: tum vario pœnarum genere corpora afflictabant, moderante cœtum Sacerdote Societatis, & diversas exercitationes fovendæ pietati idoneas præscribente. Ut fructus operæ ad totam manaret civitatem, mos inductus, ut e sodalio delecti aliqui mitterentur per dies festos ad diversas urbis regiones, & pueros otiantes cogerent ad catechesim: alii vero victis ægrotisque subsidia vitæ æternæ, & præsentium ærumnarum solatia providerent. Quæ cum exacte ferent, non est facile dictu quam multum, quam brevi profectum sit ad publicam utilitatem. Anno uno plura disjecta sunt aleatorum conventicula, plura vitiorum irritamenta de medio sublata. Neapoli interea pie decessit v. Cal. Septembres P. Innicus de Guevara, antea dux Bovinensium, & magnus, ut vocant, regni Siniscalchus, postea Societatis sacerdos tam excellenti virtute, ut generis summa claritas inter postrema ejus ornamenta censeretur. Adhuc junior matrimonio sibi junxerat Portiam Carasam, primariæ nobilitatis feminam. Cum ex ea plures suscepisset liberos, nihilque minus quam statum religiosum cogitaret, accidit ut concionantem audiret Paulum Tolosam, oratorem sui temporis eloquentissimum ex familia Theatinorum. Ejus voce, ac cœlesti præsertim gratia permotus, secessit in Garganum, montem cultu Michaelis Archangeli insignem, cum nostro Antonio Liso, ut hoc duce & magistro rationes conscientiæ suæ recognosceret, & superioris vitæ noxas piaculari confessione purgaret. Totum se dehinc Deo & officii pietatis dedit, perrexitque uti consiliis Lisi, vitam agens a luxu & strepitu remotam: donec biennio post, solutus per uxoris obitum conjugii vinculo, animum ad Societatem adjecit. Compositis ergo, & ordinatis probe domesticis negotiis, S. Francisci Borgia exemplo Romam venit sacerdotio jam initiatus, & inter tirones adlectus est, anno labentis sæculi octavo, ætatis suæ quadragesimo quinto. Quamdiu deinde apud nos vixit, vario occupatus est genere ministeriorum, quæ omnia cum insigni prudentiæ & probitatis laude gessit. Sæpe etiam nostris præfuit, sæpe collegiarum, ubique vestigia relinquens summarum virtutum luculenter impressa. Collegium Societatis satis commode dotatum erexerat Bovini, in oppido familiæ suæ primario: sed postmodum, nescio quibus de causis, dissolutum est. Guevaram, mensē uno vix interlapso, subsecutus est P. Bernardus de Angelis, vir inclytæ famæ, de quo hæc memoriæ sunt prodita. Ex familia inter Neapolitanas illustri genitus, ortum habuit in quodam paternæ ditionis oppido prope Lupios. Hanc in urbem puer traductus cum fuisset, ut pietate & litteris imbueretur sub disciplina nostrorum, arbitro conscientiæ utens Ven. P. Bernardino Realino, facile incensus est religiosæ ac sanctæ vitæ desiderio. Itaque simul atque annum ætatis attigit duodevigesimum, intelligens nihil obfuturum ex parte parentum (erant illi insigniter pii, & in nostrum ordinem egregie animati) quominus Societati, si vellet, se adscriberet; licet filiorum natu maximus, &

To. I.

G g g

pa

9.
RES NEAPOLITANÆ.
Restituitur magna utilitatis sodalium in collegio Theatino.

10.
Mors & elegium P. Innici de Guevara.

11.
Obitus & elegium P. Bernardi de Angelis.

paternorum bonorum hæres, in eam se contulit, & ad ponendum religiosa vitæ tirocinium Nolam contendit, Ab ipso aditu Societatis, ut ostenderet, nihil jam sibi esse ex priori conditione reliquum, nomen ipsum mutavit, quique Cæsar antea dicebatur, appellari deinceps voluit Bernardus in obsequium mellisui doctoris, cujus eo tempore cultum Claudius Aquaviva pro viribus propagare studebat. Nola post paulo transmissus est Romam, ubi mansit usque ad obitum Aquavivæ. Namque hic hominum æquissimus æstimator, Bernardi integritatem atque prudentiam probe perspectam habens, multiplici ministerio exercitum prius, probatumque sibi demum sumpsit a secretis, ut in administranda Societate, ferendaque curarum ingenti mole comitem, & adiutorem strenuum haberet. Opinionem de se conceptam non fefellit Bernardus, sed vicit potius. Totum se fingens ad ingenium magni illius præsidis, laborantem sublevabat; quidquid ille ad augendam ordinis dignitatem susciperet, consilio promovebat. At subrogato in locum Aquavivæ Mutio Vitellescho, causatus affectam valetudinem, & vires longa animi contentione plus nimio attritas, suæ se provinciæ restituit, quodque reliquum erat vitæ transigendum sibi statuit Massæ, quippe in loco cœli salubris, ac minimæ celebritatis, ubi sibi tantum vacare in posterum, ac pietati posset. Ab eo secessu bis duntaxat extulit pedem: semel quidem grati animi causa, ut in conventu provinciali, qui habebatur Neapoli, Realini moderatoris olim sui causam ageret, eamque ad Pontificem maximum deferendum curaret: iterum imperio majorum, ut Neapoli curaretur commodius ab apoplexia, qua fuerat tactus. Sed hujus secundæ perfectionis, quam justa causa, tam infelix exitus fuit. Vix enim delatus Neapolim, vi morbi prævalente, paucis diebus interiit, Decessit VI. Cal. Octobres, annum decurrens ætatis sexagesimum secundum, elatusque est incredibili nostrorum lactu, utpote vir exempli semper recti, idem rerum usu valde limatus, & de communi re optime meritis,

12.
RES SICILIÆ.
Insignis arrogantia P. Honuphrii a Vermis, ejusque iter in Hispaniam.

Longe diversa tradunt monumenta provinciæ Siculæ de P. Honuphrio a Vermis Marfalsenti, qui insigni tantum ambitione, ac vanitate id est affectus, ut qualemcunque locum obtineat in annalibus Societatis. Obscurissimo licet genere, eaque mediocritate doctrinæ, ut juratis æquissimorum judicum sententiis exclusus fuerit a professione quatuor votorum, irrepsit tamen paulatim in amicitiam virorum principum, eorumque fultus præsidio, leges disciplinamque domesticam contemnebat. Præcipua illi familiaritas cum comite ab Elda Siculæ classis præfecto. Is ante annos tres cum moreretur, & assidentem sibi Vermium cerneret, edixerat supremis tabulis, ut ipsi traderetur suum cadaver ad majorum tumultum deportandum in Hispaniam, rogareque Cardinalem de Auria Archiepiscopum Panormitanum, & Franciscum de Castro proregem, ut exequendi testamenti curam susciperent. Eldam ut id juberet incitaverat ipse Vermius, seu levitate quadam, sive ostentandi sui causa in aula Matritensi. Cum aliena videretur ab homine Societatis procuratio devehendi cadaveris, eam Præpositus provincialis in alium quemlibet ex externis transferendam curabat: sed frustra. Nullo impetrari modo potuit ab Archiepiscopo ac Prorege, ne voluntatem testatoris in hac parte implendam contenderent. His ergo auctoribus fautoribusque, Vermius Matritum profectus est, moderatorum ingratis. Ibi, ut erat in agendo liberior, facetus idem, ac nugax, facile ab aliquibus aulæ proceribus gratiam iniiit, qua male abutens, Panormum rediit spiritu aulico inflator multo quam abierat. Ad augendam hominis arrogantiam accessit apertus favor Philiberti principis a Sabaudia, qui cum prorege Castro successisset in administratione Siciliæ, eidem successisse pariter in ornando fovendoque Vermio videbatur. Jam ergo homo vanus, elatus tam splendidis amicitiiis & obsequio populi, fastidire domesticam paupertatem, vix majores vereri, sodales longe infra se positos ducere. Tum sentiens quanta laboraret apud socios invidia, ac forte (quod in convictu familiare est) eo durius habitus domi, quo plus colebatur ab externis, denuo cogitare Matritum, ubi procul a

con-

conspetu sodalium minorem habiturus esset invidiam, honoresque expiscari commodius posset. Veniam ut impetraret facilius, de itinere quod meditabatur ita scripsit ad Mutium, ut prætenderet tacitæ ambitioni majus obsequium Dei. Esse nimirum Matriti multos natione Italos: eorum autem interesse plurimum, ut existeret ibidem unus aliquis de Societate Italus, qui ipsorum confessiones audiret, & conscientias moderaretur: ad ejusmodi provinciam neminem sociorum videri comparatiorem se, linguæ ac regionis gnaro. Quæ cum de se scriberet Vermius, eodem tempore venerunt ejusdem sententiæ litteræ ad Generalem, tum a Philiberto prorege, tum etiam a Comitissa de Lemos, matrona illa præpotenti, quæ olim ob suum Ferdinandum Mendozam multis gravibusque molestiis affecerat Claudium Aquavivam, ut in quinta parte fuscè narratum est. Notavit Mutius, mire consentire Proregis ac Lemosiæ litteras in exposcendo nominatim ad iter illud Hispanicum Vermio: quasi vero præter ipsum nullus esset in Italia, cui negotium ejus generis committi posset. Sensit qua manu tales agerentur machinæ: magnoque opere dolens, voluisse hominem Societatis tam validis deprecationibus imponere sibi necessitatem permittendi quod nollet, confirmato ad constantiam animo, postulata omnium peræque rejecit, ac solummodo repulsam excusare conatus est, cum officio verborum, tum etiam rationibus quam potuit honestissimis. At nec rationibus acquievit Prorex Philibertus, nec sibi verba dari passus est. Summa dignitate Princeps, & Regis Catholici consobrini, indigne ferens negari sibi a Præposito Societatis rem, ut putabat, æquam, & in ipsius unice arbitrio positam, quod precibus non impetraverat, vi abstulit. Causatur esse sibi in aula Matritensi negotium grave, & arcanum, cujus procuracionem soli commissam vellet amico ac familiari suo Vermio: nec tam rogans, quam sine rubore nostrorum, eorumque omnium offensione, quibus nota nostri ordinis instituta. Ecce autem haud multo post Romanam afferuntur ad Pontificem maximo litteræ ab Hispaniarum Regina, quibus litteris episcopatus Vermio petebatur. Hic enimvero se non continuit Mutius. Percussus uti decuit rei gravitate, præcidendumque ratus in ipso ortu pravum, nec antea apud nos auditum ambitionis exemplum, scribit ad rectorem collegii Matritensis, ut ejiciat confestim e Societate P. Honuphrium a Vermio, hominem quippe ordini noxium, & ambitus manifestum. Quæ jussa ne rector facere intercessione cujusquam aut gratia cunctaretur, id illi per obedientiæ religionem præcipiebat. At enim Mutii litteræ, nescio qua fraude, interceptæ fuerunt. Urgebant interea Pontificem fautores Vermii ut negotium maturaret, id summo contententes studio, ne dimitti prius posset, quam re ipsa episcopatum esset adeptus. Cum Pontifex moras neceret de industria, Vermius, qui videret declinari ultra non posse ignominiam ejectionis suæ, prævertere illam maluit petita ultro missione, quæ petenti continuo concessa est. Ita sacramento Societatis exauctoratus, sub finem anni labentis infulatum obtinuit sacerdotium Scalæ in Brutiis. Sed in novo statu, nec ingenium mutavit, nec fortunam. Namque, ut reliquam ejus vitam cursim expediam, semper post hæc iniquus, & multis invisus, capitales contraxit inimicitias, quarum metu dum se a sede sacerdotii sui abstinet, sacrorum usu privatus est a Pontifice, ac tandem inops, & exul misere occubuit: documentum iis utile, qui se vehendos præbent fallaci vento fortunæ, & foedo ambitu ad dignitates Ecclesiæ prorepunt. Sed ad ordinem temporum redeamus.

Provincia Austriaca novis domiciliorum accessionibus per hoc tempus augeri pergebat. Viennæ Petrus Pazmanius Archiepiscopus Strigoniensis peculiare collegium pro regno Hungariæ instituit, Pazmanianum de conditoris nomine

Tb. I.

G g g 2

ap-

13.
Iterum proficiscitur in Hispaniam invitis moderatoribus.

14.
Episcopatum sibi querens dimittitur a Societate.

15.
Reliqua ejus vita infelix.

16.
RES PROVINCIA AUSTRIACÆ.
Erigitur Viennæ collegium Pazmanianum.

17.
Dividitur provin-
cia Bobemi-
ca ab Austria-
ca.

18.
Res gestæ socio-
rum in Hunga-
ria.

19.
Excursio no-
strorum Con-
stantinopolim.

20.
Res GERMANIÆ
SUPERIORIS.
Conversiones
Hæreticorum,
& unius præser-
tim apostata.

appellatum, ut in eo litteris & pietate excolerentur adolescentes ecclesiasticæ militia adscripti, & Ecclesiæ utilem navare operam aliquando possent. Huic collegio certos etiam redditus assignavit Episcopus Nitriensis Joannes Gubaskoczius, in gratiam clericorum suæ dioceseos. Cujus deinde exemplum secutus Episcopus Jaurinensis Nicolaus Dallos, nonnullos & ipse fundos constituit, ut in eodem contubernio suæ pariter diocesis clerici disciplina Societatis, & institutione fruerentur. Quos Ecclesia fructus ex hoc Pazmaniano collegio perceperit, docent insignes viri prope innumeri, præter plures Episcopos, & Archiepiscopos, qui ex eodem subinde educi sunt. Sed jam provincia Austriaca ita creverat, ut propter numerum distantiamque domiciliorum ab uno Præposito administrari haud satis commode posset. Id reputans Mutius, detraxit illi domicilia Bohemiæ, Moraviæ, ac Silesiæ, ex iisque novam erexit provinciam, quam Bohemicam appellavit, dato rei exequendæ negotio Patri Joanni Argento, qui Visitatoris ibi munus potestatemque exercebat. Nos itaque de utraque separatim agemus in posterum: atque intra fines Austriacæ nunc paululum immorantes, quæ sunt hujus temporis breviter exequemur. Initio anni cum quiescisset, ut dictum est, inclementia Gaboris in Pannonia, regionem hanc percurrerunt sacerdotes aliquot Societatis, tum ad redimendos captivos, tum ad sananda quæ insicta fuerant religioni tristissimo illo bello vulnera. Miserabilis plane erat regionis facies, quam Turcæ, ac Tartari, Hungari etiam perduelles, & hæretici desolaverant. Trucidati fuerant senes captivi, qui victorem barbarum sequi non poterant. Abstracti ab uberibus matrum infantes, & canibus objecti, aut illi faxis, si vagitu querulo perstreperent: nutire non ausis matribus, ne mactarentur pariter, si gemitum ederent. Budæ consisterunt Patres, atque ibi catholicis mercatoribus e Bosnia, vicinisque locis, sacramenta ministrarunt, schismaticos ad Ecclesiæ auctoritatem sinumque revocarunt. Præcipua pars laboris & fructus extitit in Christianæ religionis desertoribus ad Mahometanam impietatem transgressis, qui cohortatione Patrum & humanitate permoti, ad eos clam ventitabant, seque non sine lacrymis prosternebantur, externo tantum cultu superstitionem Turcicam amplexos esse, interne Christianos. Instituti sunt pro temporis angustis, iidemque magno nostris ad rem bene gerendam adjumento fuerunt: unus præ cæteris, quem impiæ defectionis dolor vehementius angebat. Is pueros puellasque christianas emebat a Turcis: mox levi pretio vendebat Patribus, ætatem teneram servituti & superstitioni ereptam gratulantibus. Eodem anno Ferdinandus II. Cæsar, cum ad Imperatorem Turcarum legatum mitteret Jacobum Curtium, binos illi addidit e Societate sacerdotes, Georgium Nagium, & Gasparem Paklerum, ut detentis in servitute christianis opem aliquam & solatium afferrent. Delati Constantinopolim Patres, partim pretio, partim comitate & modestia, aditum sibi aperuerunt ad custodias christianorum, & potestatem faciendæ illic rei divinæ, ac miseris sacramenta ministrandi habuerunt. Educti vinculis fuere nonnulli, aliis elemosinæ distributæ, & promissa libertas, ad quam ipsi brevi representandam opulenti mercatores, & pii, suam fidem & arcam non inviti obligarunt. Præter hæc orator Cæsaris diploma impetravit. Imperatore, quo fiebat nostris hominibus in imperio turcico degentibus liberrima potestas omnia Societatis munia exercendi: quo quidem nihil accidere nobis optatius, & ad religionis securitatem præstabilius poterat.

In superiori Germania latos, si uspiam alibi, successus res religionis habuerunt. Traducti ad Ecclesiam hæretici mille quadringenti & sexaginta, quo ex numero Monachus fuit miserabili admodum conditione. Floruerat olim probitatis laude inter suos: sed cum semel Norimbergam divertisset ad cognatos heterodoxos, eorum captus fraudibus & blanditiis, catholicam religionem abjecerat, & uxorem duxerat. Agebat jam in sacrilego pellicatu annum quadragesimum, senio prope confectus, & multis attritus calamitatibus, inopia præsertim extrema, quam utcumque tolerabat Ambergæ forenses causas actitando.

Mi-

Miserati hominis vicem Patres Ambergenfes, non modo illum ex tam longo errore ad salutis æternæ viam reduxerunt, verum etiam veniam a Pontifice impetraverunt, ut solutus monasticæ disciplinæ legibus apud se viveret in habitu clericali: quo ille beneficio obftriçtus, magno deinceps ufui noftris ad rem catholicam augendam fuit. Eodem anno Oettingæ muliercula flagitiofa, post peractam rite criminum confessionem, narrabat nofiro facerdoti, fuiſſe ſibi lapillum iis imbutum præſtigiis, ut poſſet cujuſcunque vellet animum incendere ad libidinem. Vere ne iſtud, an falſo diceret, nihil moror. Quod ad rem pertinet, magnopere ſe cupiſſe, ajebat, eam peſtem afflare alicui de Societate, nunquam potuiſſe. Sæpe hoc animo occuriſſe de induſtria noſtris ſcholasticis extra urbem ſpatiantibus: ſed cum illi ſemper præterirent demiffis oculis, aut averſis, lapilli inutilis fuiſſe contra ipſos vim: ſe vero tam illuſtri modeſtiæ exemplo percuſam mutaſſe tandem conſilium, abjectoque maleficiorum inſtrumento, ad conſtitenda ſuperioris vitæ crimina properaſſe. Adeo multum valet illa quantumvis tacita modeſtiæ eloquentia, de qua olim ſodalem ſuum admonuit S. Franciſcus, cum diceret ſe ad concionandum exire, quoties in publicum egrediebatur. Haud minus fruſtuofum genus orationis interdum eſt benignitas erga egenos, nemine eos non libenter audiente, quos benevolos ac liberales ſenſerit. Hoc orationis genere uſi Patres Ingolſtadienſes, annona ingraveſcente, pauperibus quotidie ſeptingentis, interdum etiam octingentis certam panis menſuram diſtribuerunt, quos cum eodem tempore piis cohortationibus ad confessionem piacularem allicerent, pleroſque dicto audientes habuerunt. In ſimili calamitate reſidentia Eberſpergenſis, præter ſtipem pauperibus large diſtributam, vili emendam propoſuit magnam frumenti copiam, unde civitas plurimum eſt recreata.

Inter hæc collegium Ratiſbonenſe periculum adiit grave non minus, quam inopinum, quod tamen intra jaçturam parietum tectorumque ſteterit, niſi tamen fuiſſet peculiari ope Numinis propulſatum ex parte, etiam hominibus cladem ingentem aſſerebat. Turris erat parum a collegio diſtans, alta pedes minimum ſexagita, cujus plurimæ contignationes totidem erant bellici pulveris receptacula. De cœlo taçta repente eſt: totuſque ille nitrati pulveris numerus momento flammam concipiens, & fragore horrendo prorumpens, turrim a fundamentis evulſam uſquequaque diſjecit. Evolarunt in omnem partem vaſtæ faxorum moles inſtar grandinis. Civitas univerſa quaſi vehementi ac ſubito terræ motu contremuit. Vix fuit domus Ratiſbonæ intacta omnino, & damni experts. Contrita paſſim teçta, vitrei fenestrarum obices ubique diſfracſi. Hominum plerique aut afflicti impulſu violento aeris, aut intermicantis aſpectu flammæ terrefacti. Nonnulli vapore torrido fumi pene exanimati. Exincti duntaxat tres, nec multo plures ſauciati. Incidit atrox caſus in diem hebdomadæ quartam, quo die apud nos feriari ſolent ſcholæ: idque pueris gymnaſium frequentare ſolitis ſaluti fuit. Certa erat multorum clades, ſi pueri ſcholis interfuiſſent. Alios quippe torrentis fumi copia præſocari neceſſe erat, alios decidentium imbre lapidum opprimi, alios in ipſa trepidatione fugæ invicem collidi. Quod autem eo die vacaverint ſcholæ, effectum providentia Numinis plane ſingulari. Eſt enim id conſuetudo gymnaſii poſceret, tamen illa hebdomada nihil non egerant apud rectorem ſcholastici, ut vacationis beneficium utendum ſibi permetteret die proxime præcedente. Deprecatores adhibuerant viros nobiles, & amicos collegii, quibus non videbatur rector rem adeo levis momenti negaturus. Negavit tamen conſtanter, & ſervari morem juſſit, nec impetrare a ſe potuit ullo modo, ut in re tam exili virorum talium poſtulatibus annueret: quod tunc quidem viſum duriter & illiberaliter factum, poſtridie vertit in commendationem divinæ providentiæ, quæ ſic incolumitati tot adoleſcentium proſpexiſſet. Quare, die poſtero rector decantari publice hymnum eucharisticum, & debitas gratias Deo liberatori perſolvi juſſit. Auguſtæ Vindelicorum diem obiit P. Gregorius Roſeſſus, patria Landiſhutanus, quem tamenſi annis gravem, ac prope jam ſe-

21.

Modeſtia noſtrorum juvenum mulierem flagitioſam adducit ad poenitentiam.

22.

Noſtrorum liberalitas erga pauperes Ingolſtadii, & Eberſpergii.

23.

Grave periculum collegii Ratiſbonenſis ex eventu fortuito.

24.

Vacant eo die ſcholæ, non ſine peculiari numinis providentia.

25.

Obitus & elogium P. Gregorii Roſeſſi.

senio inutilem, provincia inter carissimos habebat Patres, nec sine lætu extulit. Præcipua viri laus in Evangelio, ejus explicandi ministerium gessit Augustæ per annos ipsos quadraginta: ea semper auditis approbatione, & fructu, ut Augustani redditum sibi suum dicitarent apostolum, Petrum Canisium. Rossefi præsertim auctoritate fundatum est Augustæ collegium Societatis, sumptum faciente prænobili Fuggerorum familia. Idem omnium primus collegium illud rexit aliquandiu: provinciam vero universam novem omnino annos administravit. Charitate erat insigni, animo erecto, impigro, & ad labores apostolicos semper expedito. Nemo eum vidit aliquando otiosum. Quod rebus gerendis supererat temporis, aut contemplationi rerum cœlestium, aut piis scribendis libris impendebat, quorum nonnullos edidit alieno nomine adversus pestilentes libellos Lucæ Osiandri, præter alia quædam opuscula doctorum judicio valde laudata. Postremo vitæ spatio acerbis conflatus doloribus, aliud nihil Deum rogabat, nisi ut adderet fortitudinem, & dolores augetet. Demum anno ætatis suæ octogesimo, ab inita Societate sexagesimo tertio, ab hac mortali vita solutus est, & suavissimo quidem mortis genere. Idibus enim Majis, cum valeret ut qui maxime, monuit repente socium, sibi ut quantumcunque morituro pararet suprema. Inde in lectulum se recipiens, suscepit rite sacra, atque intra dimidium horæ oculos & vitam clausit.

26.
Rrs RHENANÆ.
Mittuntur operarii in Daniam.
Duo in itinere interceptiuntur.

De provincia Rhenana, ad quam modo transgredimur, nihil est in litteris hujus anni memorabilius excursione quadam a nostris in Sveciam facta, quam propterea a suis initiis narrandam sumimus. Patres Henricus Schatchius, & Theophilus Olaus, par operariorum insigne, jussi fuerant in Daniam proficisci cum aliis quibusdam de Societate, ad ponendum, si qua fieri posset, sacræ missionis initium. Id quippe negotii Mutio Generali dederat Gregorius XV., cui per quosdam Dominicanæ familiæ Patres certa fuerat oblata spes reparandæ in illo regno religionis. At cum itineri se commisissent, a Batavis intercepti, & in vincula coniecti, id modo unum ab hæreticis impetrare potuerunt, ut libertatem pretio redimerent. Præclusam sibi videntes Daniam, & nihilominus certi in provinciam non redire sine aliquo suscepti itineris fructu, animum ad provincias finitimas adjecere. Campum laboris ita partiti sunt, ut Olaus excolendam sumeret Lubecam, & Hamburgum: Schatchius Sveciam peteret. De priori nihil ultra memorabimus. Extinctus enim in ipso novi operis apparatu, locum dedit Patri Andrea Niseno, qui nusquam benevole acceptus, paulo post abiit in inferiorem Saxoniam ad colligendas fidei reliquias, quæ Magdeburgi, & Albertadii adhuc supererant. Schatchius difficillimo perfunctus itinere cum pervenisset in Sveciam, primo Stocholmiæ in ipsa regni sede occultus consedit, remque non minus sedulo quam caute gerens, nonnullos ad fidem catholicam traxit, ac præter alios virum insigni nobilitate Georgium Ursinum, qui regi erat a secretis, & intime familiaris. Progressus inde Telgam, & in colloquium admissus a Zacharia Antselio urbis consule, huic similiter, quippe docilis ingenii viro, persuasit, ut relicta Lutheri secta ad Ecclesiam transiret. Virorum talium conversio latere diu non potuit Gustavum regem. Rescivit statim, & immane quantum exarserit. Utrumque nulla mora contrudit in carcerem. Tum nescio quibus indiciis subodoratus, unum aliquem in regno latere de nostra Societate, hunc perquiri diligenter jubet. Cito inventus est, seu verius proditus. Producitur ad tribunal Schatchius, interrogatur, torquetur, cunctis demum artibus sollicitatur, ut velit in partes Lutheri transire, sed conatu irrito. Eadem expertus Rex cum duobus ejus discipulis, Ursino, & Antselio, ubi sensit nec suavitate, nec quocunque cruciatu posse viros fortes a catholico cultu abstrahi, omnes pariter capite plecti jubet: hos, propterea quod patriam deseruissent fidem: illum, quod auctor desertionis, & hortator fraudulentus fuisset. Placuit uno omnes die interfici, eodemque supplicii genere, capite nimirum amputato, Producentur igitur in ferale pegma fortissimi pugiles, affusa ad spectaculum innumera populi multitudine, ac primi securi

27.
P. Henricus Schatchius defertur in Sveciam, ac rem utiliter gerit.

28.
Illum rex capite plecti jubet cum aliis duobus.

29.
Qui mortem pie fortiterque excipiunt.

feriuntur Ursinus & Antselius, quorum non alia audita vox, nisi bene sibi ac feliciter evenire, quod in Ecclesia catholica morerentur. Quo die rapti sunt ad supplicium, communes exaraverant litteras, tum ad Præpositum provinciæ Rhenanæ, tum ad Generalem Societatis, utrique gratias prolixè agentes, quod in Sveciam misissent veræ fidei magistrum, cui se debere profitebantur quod veritatem amplexi essent, & in limine felicitatis sempiternæ versarentur. Restabat Schatchius: & jam pari constantia cervicem carnifici præbebat. Cum adest anhelus ab aula nuncius, nequaquam hunc esse obruncandum. Regem de advena mitius statuere. Supremo supplicio liberatus tota exulet Svecia, & in proximas Germaniæ oras navigio evehatur, pœna capitis proposita, si quo casu in Sveciam redierit. Ita receptus in navim sacerdos, & nauclero traditus, Lubecam defertur: lætus ille quidem beata sorte duorum martyrum, at simul dolens, eandem sibi palmam ex ipsis prope manibus ereptam fuisse. Reliquerat in vinculis Stocholmiæ præclarum adolescentem annorum sexdecim, nomine Arnoldum Mefenium, parentibus natum orthodoxis, & paternæ fidei retinentissimum, eique novos sæpe stimulos ad constantiam subjecerat. Diebus aliquot præterlapsis, quid illi factum sit quærens ex advena Stocholmiensi, audit extimulatum ad defectionem adolescentem perstitisse adversus potentissimi regis blanditias omnes & minas, nullisque machinis potuisse de sententia depelli: hujus tandem rei causa damnatum, Romanam fidem abscissis cervicibus confirmasse. Quo magis gavisus est, excursionem illam suam Svecicam, ut non cessisset ex voto, fructum tamen habuisse non pœnitendum.

Præter Olauum, & Schatchium, de quibus modo dicebamus, prodierant in expeditionem Danicam ex provincia Flandrobeltica quatuor ingentis animi operarii, Andreas Jodocus, Justus Vischerus, Matthæus Colenus, & Ludovicus Carbonelius. Hi porro admoniti, duos qui præiverant Patres fuisse a Batavis comprehensos, non desistendum propterea ab incepto, nec retro flectenda vestigia, sed cautius aliquanto peragendum iter censuerunt. Jodocus omnium præses navigavit Hamburgum cum Justo Vischero, jussis duobus reliquis seorsum subsequi: relicto autem Altenæ ad solatium degentium ibi catholicorum Vischero, ipse porro in Daniam progressus est. Cum partem regionis maximam nullo propemodum fructu peragrasset, jamque de successu expeditionis desperaret, affluit subito læta spes rerum feliciter gerendarum. Erat Malmogii in Scania vir gente Germanus, professione catholicus, Arnoldus Wisveillerus nomine, notus aulæ, & apud regem gratiosus, qui anno præterito duos familiarum Dominicanæ Patres hospitio exceperat. Virum talem Jodocus consiliis suis opportunissimum putans, adit illum fidenter: cujus rei causa venerit ipse, alique in Daniam venturi sint Missionarii, docet. Rogat, ut ad negotium religionis præstare aliquid pro suis viribus velit. Sua non fessellit Jodocum fiducia. Arnoldus in causa fidei optime animatus, nihil de se non promittit, quod ad securitatem fructumque missionis pertineret. Patere suas ædes, non ipsi tantum, sed cunctis in perpetuum Missionariis, qui ab Romano Pontifice submitterentur. Se illis magistrum linguæ, se itinerum, & periculorum comitem fore: se denique nulla iisdem re defuturum ad missionem cum fructu obeundam. Unam modo cautionem exigere, ut si forte ob eam causam fortunis exueretur, aut in exilium pelleretur, haberet tunc ab Apostolica sede quaecumque subsidium, unde vitam tueri non incommode posset. Hæc prolixè spondebat Arnoldus, hæc ipsa Patribus Dominicanis prius sponderat. Quæ promissa Jodocus haud parvi pendens, curavit ejusdem chirographo confirmanda, ut Romam opportuno tempore transmitterentur, atque interim de re tota socios per litteras monuit. Digressus dehinc Hafniam, (Copenhagen vulgo nominant) urbem regni primariam, periculum adiit opinione majus. Dum urbem amplam percurrit, dum more peregrinorum varia curiosius percunctatur, & sermones diversos de statu regni, tum civili, tum sacro cum indigenis serit, casu factum est ut alloqueretur ingenuos quosdam adolescentes, qui litteris operabantur. De-

30.
Schatchio pœna
capitis mutatur
in exilium.

31.
De quodam
adolescente re-
ligionis causa
interempto.

32.
RES FLANDRO-
BELGICÆ.
Quatuor e no-
stris iter insti-
tuunt in Da-
niam.

33.
P. Andreas Jo-
docus missionis
Danicæ funda-
menta ponit.

34.
Ejusdem grave
periculum Haf-
niæ, & prom-
pta fuga.

le-

lectatus eorum indole, sermonem intulit de religione. Omnes ad veritatem flexibiles reperit: uni autem nominatim persuasit, ut relicta patria secum iret in Belgium. Res erat deliberata, conducta profectiois dies. At ea profus die, ac tum maxime cum adolescentem præstolabatur, ut se cum illo daret in viam, audit ex improvise, perquiri urbe tota Jesuitam, quem certo constaret obambulasse Hafniam, & conatum esse quosdam tenerioris ætatis scholasticos ad Papiſmum trahere. His rumore ipso cognitis, non ultra cunctandum ratus, maturavit fugam, seque proripuit in Belgium, secum auferens Arnoldi quam dixi ſyngrapham, veluti fructum industriæ suæ præcipuum, nec vero levem: magnam quippe in ea spem habebat repositam.

35.
P. Justus Viſcherus cogitur Altenæ excedere.

36.
P. Matthæus Colenus vix in Daniam appulſus conſicitur in carcerem.

37.
Interrogatur a rege, & ſolum vertere cogitur.

38.
Ejus hospes ſuſpenditur: tota ſpes miſſionis conſicitur.

Interea temporis qui Altenæ ſubſliterat Juſtus Viſcherus, tertio jam menſe catholicis ſacra miniſtrabat in ipſorum templo, & divino verbo puſillum gregem paſcebat, nihil deterritus minaci denunciatione hæreticorum, qui catholicis ſuas exercere religiones vetabant. Tantum, ne qua ſacro loco injuria ab infano populo fieret, præfigendam curaverat pro templi foribus tabulam aquila depicta ſpectandam, inſigne Cæſaris. Sed quid vereatur hæreticorum audacia? Quadam die, dum catholici fere centum cum Viſchero conſueta peragunt religionis officia, ecce tibi locum circumſiſtit ala equitum armatorum, qui primo inſigne Cæſareum repetitis minorum tormentorum ictibus impetunt per contemptum: tum delapſi equis, in ædem furentes irrumpunt, cœtum cum inſigni verborum contumelia diſſipant, nonnullos verberibus male multatos extrudunt. In eo tumultu Viſcherus, quod mirere, ne minimum quidem eſt violatus: quodque mirabilius, debuit beneficium Calviniftæ prævalido, a quo tunc deſenſus contra ſeditionem, mox etiam pecunia ac patrocinio adjuſtus eſt, ut Hamburgum tutus evaderet. Atque hunc habuit exitum Altenæ procuratio Viſcheri. Eodem tempore reliqui duo Patres, Colenus, & Carbonelius, in Daniam diverſis itineribus venerant, admonitique, ut ſupra dictum eſt, a Jodoco, Malmogii confederant apud Arnoldum illum, cujus domum cunctis addictam fuiſſe miſſionariis demonſtratum eſt. At poſt paucorum dierum moram, Carbonelio in Friſiam ad comparanda nova ſociorum auxilia digreſſo, dum maxime Colenus rationes varias promovendæ miſſionis inſit cum ſuo hospite, res accidit, quæ nihil fere ſpei reliquum fecit in Dania. Capitur ex improvise, neſcio qua cauſa, Arnoldus. Per eam occaſionem immiſſi in ejus domum ſatellites, dum omnia ſcrutantur curioſius, inveniunt inſtrumentum ſacrificale, indicium vehemens latentis in eadem domo catholici ſacerdotis. Cum alius eſſet nullus, in quem cadere ſuſpicio poſſet, vincitur Colenus tanquam Romani ſacerdotii compertus, in cuſtodiam abripitur, nec multo poſt juſſu regis, qui agnoſcere illum de facie, ac per ſe ipſum interrogare cupiebat, Hafniam adducitur. Repertæ apud Arnoldum litteræ omnem præcidebant ſacerdoti modum diſſimulandi conditionem ſuam. Quærenti itaque Regi quis, unde eſſet, quidve petens veniſſet in Daniam? ad omnia reſpondit quod erat libere, ac ſine ambagibus: ut miraretur viri conſtantiam Rex, ac prope laudaret. Nihil tunc quidem conſtitutum eſt gravius. At die poſtero denunciatur Coleno, ut intra certum dierum numerum pedem efferat Dania, capitali poena afficiendus, ſi poſt præſinitum temporis ſpatium fuiſſet intra regni fines deprehenſus. Quid faceret? Migrandum fuit ſine mora. Delatus Hamburgum, & ſuo periculo jam deſunctus, angebatur vehementer de ſuo hospite Arnoldo, quem, uti dictum eſt, vincum reliquerat, verebaturque ne bonis exutus in exilium abigeretur: quod ſi eveniret, conciderent omnino ſpes religionis in illo regno reſtituendæ. Dum ea cauſa trepidat, ac ſæpe de Arnoldo pereunctatur, certior fit ſuſpendio necatum fuiſſe, ſive ob datum catholico ſacerdoti hoſpitiū, ſive alio crimine, quod nunquam ſatis compertum eſt. Sed quæ demum fuerit cauſa, tali ſublato viro, a quo tota miſſio pendebat, nihil humanæ ſpei noſtris relinquebatur in Dania. Regreſſi itaque in ſuam provinciam, curam miſſionis illius in aliud tempus tranſtulerunt.

Interea duo provinciæ Flandrobælicæ deceſſerunt inſignes ad memoriam temporum viri, P. Leonardus Leſſius, & P. Thomas Saillius, de quibus modo ſingulis aliquid libandum eſt. Leſſius, clariffimum inter avi ſui theologos lumen, natus erat Brechtæ, in pervetufto Brabantia oppido, parentibus loci primoribus. Litterarium ingreſſus a prima pueritia curſum, ita illum tenuit, ut æqualibus ingenio diligentiaque longe præcelleret. Emenſo Lovanii philoſophiæ ſtudio, annum ætatis agens decimum ſeptimum, noſtrorum modeſtia & pietate incitari ſe ſenſit ad amplectendam Societatem. Cunctantem parumper, & ſpes blandas non humilis fortunæ reſpectantem, Deus acerbis ſtimulis, objectiſque die noctuque terroribus, & inſtino conſcientiæ tumultu ita concuſſit, ut ante conquieſcere non potuerit, quam Societatem ingredi apud ſe ſtatuere. Compoſitis demum animi fluctibus, in eam tanquam in portum invectus eſt, ac partim Lovanii, partim Audomari tirocinium peregit. Hinc ſciendi illa cupiditas, qua ſemper flagraverat, quæque per totum biennium quaſi conſtricta & compreſſa fuerat, ruptis obicibus in omnem litteraturæ partem erupit. Duaci annos duntaxat viginti natus docebat philoſophiam, nimisque anguſta huius facultatis ſpatia querebatur. Quare in amœnos humaniorum litterarum campos excurrens, grammaticos, poetas, hiſtoricos, & oratores adiit, floreſque ac fructus uberrimos ab omnibus decerpſit, quos in omni vita quaſi recentes integroſque ſervavit. Mox eruditionis profanæ limites egreſſus, operam ſacris codicibus penitus intelligendis dedit, conſuluit ſanctos Patres, & juris utriuſque conſultos audivit. His ex fontibus profluxit deinde in ejus libros doctrinæ, quam multiplex, tam ſolida & exquiſita. Quantam haberet a natura facultatem ad iſtas opes comparandas, vel illud documento eſſe poteſt, quod græcarum litterarum prima elementa exorſus, poſt duos privati ſtudii meſes loqui jam commode poterat, ſuperatiſque nullo docente omnibus difficillimæ linguæ ſæbris, Ariſtotelem, & Dionyſium Areopagitam e græco ſermone in latinum convertit. Annis quatuor Duaci in tradenda philoſophia conſumptis, Romam venit, ut inchoata theologiæ ſtudia perpoliret. Tantum autem ingenii acumen, tantam ad hæc attulit indolem, ut vix biennio circumacto, cupide revocatus fuerit a ſuis Belgis, nec multo poſt theologiæ cathedram Lovanii magiſter egregius impleverit. At enim doctrinæ tam profunda, tam multiplex, Leſſii poſtrema laus fuit. Adeo religioſæ in eo virtutes eminerunt. Solitudinem, qua rerum cœleſtium contemplatio delectatur, plurimum coluit. Totus cum Deo, & ſuis libris, raro admodum prodibat in publicum: negotia vero, quæ ad gloriam Numinis, aut proximorum utilitatem non ſpectarent, penitus negligebat. Romam ſecundo proſectus ad Congregationem generalem ſeptimam, adduci nunquam potuit, ut tot illa artis & magnificentiæ miracula, quæ in urbe ſancta conſpiciuntur, quibusque advenæ tantopere capiuntur, uno dignaretur obtutu. Mira illi mentis cum Deo conjunctio, ac fere aſſidua. Quaſi tota non ſufficeret ad orandum dies, magnam nocturni otii partem precando extrahebat. Inſignis porro erat orantis religio. Demiffum ſuppliciter caput, junctæ manus, inflexa genua, totius corporis habitus ad modeſtiam pietatemque compoſitus, ut præſentem ſentire Deum, ac prope intueri videretur. Accidit in cœleſtium cogitatione deſixo, ut nec ignem horribilem animadverteret, quo ejus cubiculum deſagrabat. Nuſquam tamen elucebat illuſtrius viri pietas, quam erga ſanctiſſimam Euchariſtiam. Ante quam ſacrificaret, religioni habebat epiſtolas reſignare, colloquium, niſi neceſſarium, admittere, imo e conclavi ſuo prodire, ne forte alienæ cogitationes obreperent. In ipſo ſacrificio, nunc dulcibus anhelans ſuſpiriis, nunc lacrymis colliqueſcens, totus ardebat: nec ex quo ſacris fuit initiatus, per annos tres ſupra quadraginta, diem prætermiſit, quo non particeps fieret Euchariſtici panis, alieno utens miniſterio, quoties adverſa valetudine prohiberetur rem divinam facere. Animi perturbationes, atque illam præſertim, quæ præſtantibus doctrinæ viris fallacis gloriæ lanocinio inſidiatur, ita ſubeſerat, ut fateretur ſe non capere, qui fieri poſſet, ut quiſquam propriis

To. I.

H h h

lau-

39.
Mors & elo-
gium P. Leonar-
di Leſſii, cuius-
que vitæ com-
pendium.

40.
De eximia ejus
litteraturæ.

41.
De pietate, ac
virtutibus reli-
gioſis.

42.
Quanta eſſet
humilitate, ac
manſuetudine.

laudibus delectaretur. Ea auctoritate vir, cujus responsa tanquam oracula passim exquirebantur, nihil dubitabat in rebus dubiis consilium ab aliis petere, & eorum sententiæ velut rudissimus quispiam acquiescere. De omnibus honorifice, de se minimum, aut demisse loquebatur. Cum abundaret fervida bile, nonnihil initio laboravit in iracundiæ primis motibus comprimendis. Sed in illos adeo severam & assiduam exercuit quæstionem, ut demum prorumpere non auderent. Quod si quid tamen in hoc genere excideret imprudenti, certa continuo poena castigabat errorem, atque ea ferme, ut peculiari benevolentia significatione illum prosequeretur, a quo fuerat lacesitus. Affirmavit non nemo, se Lessio bilem aliquando movisse de industria, ut ab eo nescio quid beneficii facilius impetraret. Scitum est, quam acriter vehementerque adversus eum de divina gratia doctrinam insurrexerint aliqui theologi. In ipso ardore certaminis, dum maxime ab adversariis impetebatur acerbius ferociusque, nemo illum vidit animo, aut dejecto, aut perturbato. Sive sua defenderet, sive contraria refelleret, nihil sibi unquam excidere passus est, non lingua, non calamo, quod dolentis indicium esset, aut irascentis. Eadem animi firmitate illas frænavit cupiditates, quæ corpori voluptatis illecebra blandiuntur. Quotidianis contra se flagellis, jejunio fere perpetuo, cilicio, & quæsitis ubique incommodis sæviebat: dicere solitus, hostium nequissimo concedi quidquid corpori indulgetur. Multiplici laborans valetudine, vix alia parte sanus erat, quam capite. Membra cætera pertinax lues, & maculosa pruritu acerbissimo fodicabat. Hernia utrinque extuberabat. Continuus intestini dolor, & languor stomachi. Crebro colicis, crebrius calculorum doloribus cruciabatur: quæ omnia vel robustissimum hominem plane frangerent. Lessius in tot malis, non modo alacer lætusque perstabat, verum etiam fomenta & levamenta respuere, cubare duriter, igne se abstinere, nocte intempesta ad orationem exilire, nullum denique finem sui divexandi facere consuevit. His artibus carnem sic habuit obsequentem, ut fateretur, ne primos quidem ejus in malum impetus se experiri. Præter alia tuenda castitatis præsidia, adhibuit patrocinium Regina virginum, quam coluit eximie, & nulla non die conatus est peculiari aliquo obsequio demereri. Quadriennio ante mortem tam diris acerbisque laceratus est calculi doloribus, ut mortem quamlibet, vel in igne lento subeundam, duceret leviolem. Sedere, stare, jacere sine cruciatu non poterat. Nunquam id postulavit ut levaretur dolor, sed ut fortitudo & constantia augetur. Obiit demum Lovanii XVIII. Cal. Februarias, annos natus undeseptuaginta, quorum quinquaginta & unum exegerat in Societate. Plurima beneficia Lessii invocato nomine impetrata, & miraculis quam simillima, pervagatam de illius sanctimonia opinionem valde confirmarunt.

43.
Quanta in sum-
mis doloribus
patientia.

44.
Obitus & elo-
gium P. Thomæ
Saillii, ejusque
vitæ compen-
dium.

Lessium postridie Nonas Martii secutus est Bruxellis P. Thomas Saillius, vir apostolici plane spiritus, ac Societati Belgicæ immortaliter memorandus, cujus eodem in loco finiri vitam contigit, ubi ante annos septuaginta tres ortum habuerat. Venerat ad Societatem ætate jam doctrinaque provecior, ac dignitate ecclesiastica insignitus. Cum enim versaretur Duaci tunc, cum nostri ab hæreticis perduellibus urbem deserere coacti sunt, motus Patrum tot inter injurias patientia ac mansuetudine, consilium cepit iisdem se adjungendi, idque ut tutius faceret, citiusque, abdicato Atrebatensis ecclesiæ canonicatu, patriam armorum fragore circumsonantem deseruit, & Romam ad ponendum tirocinium contendit, vertente anno præteriti sæculi octogesimo. Tres ferme annos in urbe substiterat, cum Stephanus Bathoreus Poloniae Rex petiit a Gregorio XIII. divini verbi præcones sedulos, & industrios, qui pacem Polonos inter & Moscos conciliarent, & Romanam religionem sererent in Moscovia. Ad eam expeditionem destinatus cum fuisset P. Antonius Possevinus, inter duodecim ejus socios haud postremus Saillius fuit. Sed dum charitati præter modum indulget, dum per inaccessa Moscoviæ nemora venator animarum impiger circumagitur, & modo in gelidis nivibus, modo in speluncis pernoctat, morbum contraxit

pe-

periculofum, cui nullum fieri poffe remedium præfentius vifum eft, quam fi natale coelum reviferet. Regreffus in Belgium, valetudinem reparabat. Verum Alexander Farnelius Parmæ Dux, perfpecta viri pietate ac prudentia, eum confcientiæ fuæ arbitrum delegit, fibique deinceps in omni bellica expeditione comitem, ac pene contubernalem effe juffit. Novum ingreffus ftadium Saillius, totum fe in milites ducesque partiri cœpit, nulli parcens labori, ut omnibus præfto effet. Timuit Alexander Parmenfis, ne par effe tot incommodis unus non poffet. Itaque adjutores illi duodecim e Societate dandos curavit: inter quos Saillius curas varias officiaque distribuens, Miffiones caftrenfes instituit, quæ tantas poftea utilitates Belgicis exercitibus attulere. Alexandro e vivis sublato, perrexit nihilo fecius navare caftis operam, & in exercitu Regis Catholici religiofa ftipendia facere, dux ipfe, & quasi anima miffionis, cujus disciplinam, formam, varietatemque minifteriorum fapientiffimis legibus ordinavit. Francifcum de Mendoza legatum Regis fecutus in Germaniam, Poloniamque, peracta legatione Bruxellas repetiit, ubi noftris diu præfuit. Labore annifque fractus cum effet, & honeftam petere miffionem a caftis poffet, non recufavit Ambrofio Spinulæ exercitum adverfus Palatinum ducenti comitem fe præbere, cum eoque feptuagenarius in Germaniam venit. Parta demum ex hoſte victoria, rediit in Belgium, ac biennio poſt coelo maturus deceffit. Vir plane inſigni pietate, quam ore ipſo ſpirare ferebatur. Fatebantur ſane multi, ſe uno ejus aſpectu inflammatos veternum languentis animi depuliſſe. Quod ore præferebat, hoc declarabat verbis, nec fere quiſquam ex ejus congreſſu, niſi melior diſcedebat. Venerabilis Euchariſtiæ cultum regis in caſtris propagavit, inſtituta militari ſodalitate, cui ſummi duces nomen dederunt. Horum exemplo excitati manipulares, & crebrius exinde divina myſteria uſurparunt, & ſanctius. Haud minori ſtudio B. Virginem colebat ipſe, & coli ab omnibus tum privatim, tum publice cupiebat. Obtinuerat ab Alexandro Parmenſi, ut omnibus caſtrorum tubis perſonantibus, ter ſub auroram Virgo beatiffima in cunctis militum contuberniis ſalutaretur. Ejuſdem imaginem in itineribus ante prima ſigna præferendam, & in ſtationibus defigendam curabat. Exilire virum optimum gaudio, ac triumphare cerneret, ſi quid a quoquam audiret honorifice de Maria prædicari: moerere contra, deiici, aut excandescere, cum voces in ipſam contumelioſæ jaſtabantur. Gratiam ſibi effe famuli ſui pietatem non dubiis ſæpe ſignis B. Virgo monſtravit. Illud ad memoriam inſigne, quod cum magnam vim ſanguinis, rupta peſtoris vena, ejeſtaſſet, depoſitusque a medicis jaceret, voto ad Alpricollenſem Virginem vix concepto, viſus ſibi eſt illam videre pro ſanitate ſua Filio ſupplicantem: neque ſolum convaluit tunc præter omnium ſpem, verum etiam vitam exinde in plures annos protulit multo quam antea vegetior, neque rei quidquam præterea cum medicis habuit. In ſexcentis quibus interfuit præliis, in obſidionibus urbium, inter medios ignes, & ferream telorum grandinem, cadentibus hinc & inde quos adjutabat militibus, illaſus ipſe incolumiſque ſemper ſtetit, nullo vel leviter icſtu violatus. Acceptum hoc referebat roſario prægrandi, quod quoties ad arma conclamatum erat, ab humero ad ſiniſtrum latus inſtar baltei producebat. Hac munitus lorica, per medias acies ac mortes impune volitabat. Jam de cæteris ejus virtutibus quid loquar? De ſe ita demiffè ſentiebat, ut cum effet apud ſummos viros, & copiarum ductores gratioſiſſimus, ſe tamen nullius frugis hominem profiteretur, & noviffimum ubique locum, viliffimasque occupationes captaret. Valetudinem, non alia magis arte, quam abſtinentia, vel potius inedia tuebatur. Laborioſiſſimum vitæ genus voluntariis incommodis cumulabat. Ut alia præteream, crucem e ligno ſemipedalem, præacutis horrentem cuſpidibus, peſtori applicatam gerebat, manuque ſubinde peſtus tundens, eam carni duriter incutiebat. Militum communis quaſi patronus, aut pater, omnes excipiebat ſinu: ægris vero, aut vulneratis ad omne ſe obſequium demittebat. Non languentium pædor, non contagionis metus, non morientium multitudo virum aman-

To. I.

H h h 2

tiffi-

45.
Miffiones caſtrenſes inſtituit.

46.
Quanta ſolertia pietatem inter milites promoveret.

47.
Beate Virginis præſentem opem experitur.

48.
Nonnulla de ipſius virtutibus indicantur.

tissimum deterrebant, quominus inter illos assidue, ac libentissime versaretur. Nihilò segnior Saillii charitas domi, quam militiæ. Plebis infimæ tuguria, olidas ac stramineas casas, sua esse palatia, suas delicias affirmabat. Si sacerdos collegio noctu ad quempiam pauperem ægrotum evocaretur, nullum sibi in eo officio præferri patiebatur. Cum vires ad agendum necessarias morbus, aut ætas ingravescens invadebat, otium confumebat utiliter scribendis pii argumenti libris, qui editi ab illo septendecim numerantur. Obedientiæ custos exactus, totum se fingebat flectebatque ad superiorum nutus. Quidquid illi præciperent, vetarentve, Deus hoc præcipit, Deus id prohibet, inquebat. Quem a teneris unguiculis florem castimoniæ coluerat, editoque voto B. Virgini obtulerat, hunc intulisse tumulo illibatam creditur. Ad hanc virtutem omnes hortabatur majorem in modum. Hanc etiam in aliis tueri, & ab injuria vindicare omni ope conabatur. Eo consilio Bruxellis domum comparavit, in quam mulieres a turpi quæstu abductæ, velut in portum e naufragio, reciperentur. Dorlanum Galliæ oppidum Farnesius vi expugnaverat, ac militibus diripiendum concesserat. Quid illi juris sumpturi essent in feminas, promptum est conjecturam facere. Earum pudicitia prospiciens Saillius, prælongum trahere funem per urbem cœpit, clamans, ut quæcunque salvum pudorem vellent, manu funem tenerent. Accurrerunt frequentes, easque omnes per ora militum. Sacerdos inviolatas traduxit, nemine vel in tanta libidinis impunitate auso vim illis inferre. Multa de Saillio supra naturæ usum memorantur. Dæmonum insidias, spectra, terricula non semel superavit. Sæpe futura divino instinctu præsensit, prænuñciavitque: nec dubium quin suæ mortis diem certo præciperet. Pridie enim ejus diei quo mortuus est, piam feminam alloquens, se cum illa supremum loqui, nec amplius locuturum aperte affirmavit. Postridie vero, dum in sacello aulici gynæcæi rem divinam peragit, mysteriis vix absumptis, corruit repentina ictus apoplexia. Vi morbi paululum remittente, domum reportatus fuerat. At postea quam sacro inunctus est oleo, defectione subita animam exhalavit. Mortui funus mirifico omnium ordinum mœnore, & concursu celebratum est.

49.
Quædam supra
naturæ vires ab
eo gesta.

50.
Fundatur col-
legium Hallen-
se.

Vidit prius quam moreretur Saillius, quod maxime concupiverat, Societatem Hallæ exceptam, ac stabili domicilio donatam. Est Halla pervetus Hannoniæ oppidum prope Brabantiam. Colitur ibi summa totius Belgii religione simulacrum ligneum B. Virginis, quod ante annos ferme quingentos Hallensibus testamento legasse dicitur B. Mathildis, femina sanctissima, ac notissima: monumentum religionis insigne, cujus venerandi causa Halla votivis ex toto Belgio peregrinationibus frequentatur. Hallensem Virginem Saillius cultu præcipuo prosequeretur, optabatque vehementer curam ejus sacrarii committi Societati: id quod futurum sperans aliquando, paraverat jam ornamentum sacrificale, quo ibidem nostri suo tempore uterentur. Rem eandem sæpe perficiendam curaverant Antistites Cameracenses (est enim Halla intra fines illius dioceseos), tum ut peregrinorum eo concurrentium multitudini suppeteret sacerdotum copia, tum etiam ut illius sacelli dignitas & reverentia, quæ multis partibus erat imminuta, ad splendorem pristinum revocaretur. Sed hæc consilia turbaverant perditum, cum aliæ ex aliis enatæ causæ, tum præsertim quæ novissime secuta erat defectio Belgarum a Philippo rege Catholico. Spes exequendæ rei, quæ concidisse videbatur, restoruit tandem anno ante hunc tertio, nunc vero ad maturitatem adducta est. Dux operis Archiepiscopus Cameracensis Henricus Vanderburchius, qui prius Hallæ sedem temporariam de suo dedit operariis Societatis, & mox Alberto Archiduci persuasit, ut iisdem tradi juberet templi de quo dicebam administrationem, quæ fuerat hætenus penes Magistratum urbanum. His jussis restiterunt initio cives, nihilque non moverunt, ut parendi necessitatem deprecarentur. Sed persistente Principe ut facerent imperata, fecerunt quamvis inviti, ac templum illud suum nobis tradiderunt. Anni post hæc fluxerant tres. Quo tempore experti cives industriam sedu-

51.
Civitas initio
adversa, favet
postmodum So-
cietati.

fedulitatemque nostrorum: mirati novum facelli nitorem, munditiem, & majestatem: super omnia emendatione publica morum delectati; mutarunt animum usque adeo, ut ad retinendos alendosque perpetuo Patres multi pensionem annuam contribuerint. Symbolam inter alios suam contulit Antonius de Winghe, vir nostro ordini addictissimus, ac Lætienſis cœnobii Archimandrita, censu apto constituto pro uno nominatim operario, qui evangelicis excursionibus territorium urbis obiret. Quod ad justam collegii dotem deerat, supplementum est, partim ab Antistite Cameracensi, partim a Pontifice maximo. Ille enim Hallensi domicilio fundum attribuit, cujus fructus quadringentis florennis annuis æstimabantur: hic quoddam sacerdotium adscripsit.

Quod attinet ad labores sociorum, fructum præcipuum tulit Antuerpiæ P. Gulielmus de Pretere, magni nominis operarius, uno ad catholicos adducto viro, sed insigni, & qui multorum instar videri debeat. Captus fuerat ab Hispanis in pugna Floriacensi, contrususque in arcem Antuerpiensem ut custodiretur, Comes Philippus Mansfeldius, princeps nobilissimus, qui sub duce cognomine militabat adversus Cæsarem. Accidit ut P. Gulielmum de controversiis fidei differentem audiret. Nec mora. Divina collustratus gratia, felicem exclamavit captivitatem suam, in qua liceret sibi vincula errorum, quibus misere constrictus tenebatur, exuere. Videns quam longe aberrasset hæcenus a salutis æternæ via, veritatem amplecti statuit: non prius tamen quam, soluto de quo convenerat pretio, libertatem recuperasset, ne cui forte videretur in eo consilio aliud quidpiam secutus, quam ipsam fidei veritatem. Simul ergo ac liber emissus fuit ex arce, in adibus collegii Antuerpiensis Ecclesiæ catholice sacramentum dixit, cujus solemnem formulam peragens, tam uberes præ lætitia profudit lacrymas, ut præsentibus plurimas elicuerit. Aderat inter alios Saxo nobilis, secta lutheranus, ipsius Mansfeldii familiaris: isque etiam, exemplo tam illustri pellectus, eodem loco ac tempore catholicum professus est. Exinde Mansfeldius Regis Catholici ex captivo stipendiarius, & magno apud Isabellam Regis amitam in honore habitus, insigni morum probitate spectari, aula simul & castris exemplo vitæ integerrimæ præluere: ut nihil minus quam inter militem, & hæreticorum licentiam educatus videretur. Minus illustrem genere, sed majorem numero, & pro tempore lætorem egerunt eodem anno prædam Patres Dunkerchani. Hujus oppidi duos supra viginti civis interceperant piratæ Batavi, ac per summam inclementiam suspendio necaverant. Ut hostibus inhumanis par pari referret Isabella Belgii gubernatrix, ut forte habebat in potestate Batavos plurimos bello captos, ex iis totidem in furcam tolli jussit Dunkerchæ. Deliguntur itaque captivorum viginti duo, miserabiles ultionis victimæ, solo belli jure mactandæ. Erant calviniani omnes, ingenio rudes, indole præferoces, quibus haud facile persuaderi poterat, ut inflictam nullo suo merito poenam patienter ferrent. Tamen non id solum miseris persuasum a nostris est, verum etiam, exceptis ex eo numero tribus, impetratum a reliquis, ut fidem catholicam amplecterentur, & vitæ noxas sacramento poenitentiae expiarent. Eo non contenti aliqui, cum ad infelicem arborem ventum est, elata ex ipsis patibuli scalis voce, Deo gratias egerunt, quod vel per ejusmodi casum ad veritatem accessissent. Obstupuit ad spectaculum civitas: Patrum charitatem industriamque laudavit: nec ulli dubium fuit, quin novi catholici, quos tantum cœlestis gratia subegerat, supplicio illo perbrevis aditum sibi ad salutem sempiternam aperuissent. Per hæc Trajecti ad Mosam, sevientem exitiali lue, prompta agrorum obsequio fuit charitas Societatis, perieruntque in eo ministerio plures sociorum, quibus potior animarum, quam vitæ cura fuit. Nullius tamen tam invidenda mors accidit, quam ornatissimi cujusdam juvenis, cui nomen Levino Wael. Hunc in ultimo vitæ mortisque discrimine constitutum divina Mater aspectu alloquioque recreasse dicitur, & spe optima vitæ melioris implevisse. Certe moerentibus circum domesticis, ipse mortem lætus præter modum oppetiit. Hæc in parte,

Bel-

52.
Comes Philippus Mansfeldius Ecclesiæ conciliatur.

53.
Batavi plures ad Ecclesiam adducti proxime ante supplicium.

54.
Præclara mors Levini Wael in ministerio agrorum.

55.
Labores & res
gestæ sociorum
in Hollandia.

56.
S. Ignatii infi-
gne miraculum
Trajecti ad Mo-
sam.

57.
Aliud ejusdem
miraculum Sil-
væ ducis.

58.
RES GALLO-
BELGICÆ.

Belgii regi Hispaniarum subiecta. In provinciis foederatis, etsi vigerent quæ supra dicebamus edicta contra nos proposita, haud minus tamen utiliter rem gesserunt nostri operarii. P. Joannes Riserius Ultrajecti hæreticos viginti ad Ecclesiam reduxit. Roterodami P. Joannes Reynerus Arminianorum lucratus est amplius quadraginta. Nec interim Hagæ Comitibus Petro Maillartio, & Theodoro Zachio, licet custodirentur in vinculis, otium fuit. Vix abiit dies, qua die non aliquid ad salutem animarum præstarent. Empta enim conventia custodum, patebat cunctis catholicis aditus carceris, quos illi confessionis causa subeuntes perpetuo audiebant, & expiabant.

Ante quam ad alia progrediamur, exponenda duo S. P. Ignatii miracula, quæ labentis anni memoriam plurimum illustraverunt. Trajecti ad Mosam graviter ægrotabat puer annorum octo. Pueri mater in templum Societatis cum venisset die Ignatii anniversaria, votivum accendit cereum ad ejus aram, & pro filii valetudine supplicavit. Mox regressa domum, filium ore lato residentem, & omnino valentem reperit. Miranti, ac multa, uti fit, percunctanti narrabat puer, adstitisse sibi clara luce conspicuum Sanctum Ignatium: se vero ab eo jussu bene valere, momento convaluisse. Eadem die Silva ducis virgo quædam nobilis, dum in æde collegii nostri solemnibus ejus diei religionibus vacat, improvise correpta morbo, tantam ejectaverat ore copiam sanguinis, ut pondus æquare diceretur librarum duodecim. Domum reportata, putabatur quam mox decessura. Itaque extremis morientium præfidiis celeriter munitur. Erat illi soror virguncula admodum pia, quæ meliorem animo spem fovens, Ignatii opem tacita imploravit, votumque concepit, si sororem recepisset incolumem, se quotannis diem ejus natalitiam pridiano jejunio, & perceptione sacrorum celebraturam. Tum, perinde quasi rem haberet confectam, bono omnes animo esse jubet. Nequaquam morituram eo morbo sororem, sed intra eandem diem certissime persanandam. Diei pauca supererant horæ. Cum ægra per momenta singula in deterius rueret, ac nihilominus soror semel dicta confirmaret mira constantia, domestici, quique aderat sacerdos Societatis, puellæ fiduciam mirabantur magis, quam laudarent. At sole jam fere occiduo, invalescente morbo, magnifque itineribus ægrota ad interitum properante, cum nihil minus puella certam eo die sororis valetudinem diceret, non continuit se ipsius pater, quin loquentem increparet, ac temeritatis argueret. Sacerdos ipse noster, videns tam certa expectatione miraculi nonnullos circumstantium offendi, secreto eam monuit, ne ita loqui pergeret, sed magis morienti sorori felicem exitum comprecaretur. Cui illa: *Equidem quod jubes faciam*, inquit: *quod tamen dixi, id omnino eventurum pro certo habeas*. Insonuit tandem ex vicina turri æris campani pulsus, quo exactum diei spatium indicabatur. Eo audito, conversus ad puellam proxime assidentem mœrore ac lacrymis oppletus pater: *En, ait, elapsa est dies. Etiamne tu spe vanâ ducis filia?* Negavit illa vanam esse spem: horam diei ultimam nondum auditam esse ex horologio, quo diem metiebantur Patres Societatis. Inter hæc commovere se paululum moribunda: mox crustulam concreti sanguinis excreare. Affirmante medico indicium id esse proximi transitus, omnes circa lectum in genua provoluti solemnes ejus temporis preces incipere. Vix ceperant, cum ægrota aperiens, ac placide circumspectens oculos: *Quorsum hæc?* clamat. *Vivo, & valeo*. Quæ dicenti pulsus arteriæ, color, vires cum integra valetudine redierunt. Ac momento post, quod omnes notarunt, e turri collegio nostro proximioræ horæ signum increpuit. Non dicam quæ secuta domesticorum admiratio, quæ voluptas fuerit. Quod ad rem magis pertinet, miraculi tam certi exploratique fama toto late Belgio pervagata, novos clientes Ignatio, & novam nostris ædibus frequentiam addidit. Sed gradum faciamus in Gallobelgicam.

Grassabatur Leodii lues pestilens, multosque mortalium misere prosternebat. Dum languentibus inter alios opitulatur P. Perpetuus Martinius, eodem

con-

contracto morbo diem obiit, iv. Idus Septembris, anno ætatis quinquagesimo quinto. Patria illi Dionantium, doctrina mediocri non major: sed quod doctrinæ deerat, religiosæ virtutis magnitudo compensabat. Sui, mundique contemptor eximius, nihil nisi cœlestia pensi habebat, quorum desiderio domesticos pariter & externos inflammabat. Ejus patientiam diuturnus calculi dolor exercuit, illustravitque: tum vero maxime, cum ad sectionem ventum est, in qua nec vocem misit ullam dolentis indicem, nec vultum contraxit. Quanti eum faceret civitas Leodiensis, vel inde fieri conjectura potest, quod, vulgata ejus morte, Curiones urbani in suis singuli ecclesiis mortuo iusta persolverunt, eundemque mox illi honorem omnes simul in æde Societatis instauraverunt, operante ad aram ecclesiæ cathedralis Decano. Pari nostrorum luctu diem clausit in Tornacensi tironum domo Simon Taxillus, patria Leodiensis. Juvenis erat annorum viginti quatuor, quorum duos Ariæ impenderat tradendis humanioribus litteris, ac sextum in Societate decurrebat. Magnam cum Deo familiaritatem usu precandi assiduo contraxerat, nec quamquam affecta valetudine, & lenta consumptus tabe, de quotidiano orandi spatio unquam minuit, aut de ardore primo quidquam remisit. Ferabatur ejus familiare dictum, religiosum non decere nisi orantem mori. Pridie quam animam exhalaret, illi se visendam exhibuit divina Mater, & ad bene moriendum opem ac fiduciam præbuit. Itaque complorantibus cæteris, erectus ipse illud carmen suaviter modulabatur, *Letatus sum in his quæ dicta sunt mihi*: atque hoc habitu mentis spiritum Creatori reddidit, xi. Cal. Januarias.

Per hæc binis provincia domiciliis augetur, Armenterienti, & Atheni. Oppidum est Armenteria in finibus Flandriæ & Artesiæ frequens, & amœnum. Lisa fluvio rigatur, qui navium patiens, & in Scaldim influens Gandavi, magnam incolis ad commercia facultatem præbet. Adjacet regio innumeris referta pagis, eoque usitatis nostri ordinis excursionibus apprime opportuna. Par id temporis opportunitati necessitas. Quippe Calvinus lues vitiaverat sensim multorum animos, & mores fœde corruperat. Id reputans vir egregius, & indidem civis Petrus Barrius, unum aliquem Societatis operarium curaverat Armenteriam vocandum, qui oppidanos ad aliquot dies excoleret sacra missione. Adfuit, quo vix alius ea tempestate præstantior, P. Joannes Carlier, remque Deo bene juvante ita gessit, ut intra breve spatium mira facta fuerit morum commutatio. Hinc multorum, uti solet, studia erga Societatem incensa: quibusdam etiam injecta mens eam apud se stabili in sede collocandi. Res ut conficere posset facilius, Franciscus Grennus hortum donabat amplum cum parvis ædibus, recipiebatque, si quam stationem Societas habere inciperet Armenteriæ, eidem se sacram ædem de suo conditurum. Minime visa est contemnenda viri liberalitas; cum maxime provincia locum desideraret, ubi tertiæ probationis domum constitueret, & locus hic aptissimus videretur. Accepta ergo donatione, Præpositus Provincialis Florentius Montmorancius ædificium exiguae molis in novo fundo cœpit extruere: ac vicissim Grennus, nihil differens promissi fidem implere, templi fundamenta jecit, favente cœptis Antistite Atrebatensi, intra cujus diœcesim est Armenteria, nec invito loci toparcha Comite Agamontio. Cæterum ea domus, ob copiarum tenuitatem, non nisi sexto post anno, qui fuit labentis sæculi vigesimus nonus, ad culmen educi potuit, eoque demum anno in usum tertiæ probationis haberi cœpit. Citius adolevit domicilium Atheniense, sed conditionem & statum simplicis residentiæ non excessit. Athi, quæ civitas est Hannoniæ parva, sed elegans & opulenta, natus erat honestus mercator, qui negotiabatur in Mexico: cumque multum pecuniæ congestisset, scripserat inde nuper ad suos cives, deliberatum sibi esse in natali solo domum Societatis ponere, quem in usum jam tum suas ædes Patribus offerebat. Re cognita, Henricus Vanderburchius Archiepiscopus Cameracensis, spe ductus collegii propediem excitandi, Athum induxit statim lectam nostrorum manum, cum hoc ut civitatem, & circumpositos pagos excolerent,

iif-

Obitus & elogium P. Perpetui Martinii.

59.
Obitus & elogium Simonis Taxilli scholastici.

60.
Initia collegii Armenterientis.

61.
Athi residentia Societatis constituitur.

iusque alendis pensionem annuam de suo constituit, donec stabilem collegio dotem fundator Mexicanus præberet. Verum hic, quæ fors mercatorum est, quorum opes incertæ, & sexcentis periculis fere semper objectæ, post varios casus fortunis everfus, præstare quod promiserat nunquam potuit. Quæ causa fuit, ut solius Antistitis beneficentia steterit ad plures annos ea statio, donec Joannes Baptista de Florbecque ex nostra Societate opimam illi hereditarem de suo patrimonio erogavit. Sed stilum in Angliam transferamus.

62.
RES
ANGLICANÆ.
Domus ter-
tiæ probationis
Gandavi erigi-
tur.

63.
Status Anglica
Societatis hoc
tempore.

64.
Nova Angliæ
provincia con-
stituitur.

Ante quinquennium Mutius, ut alibi narratum est, socios missionis Anglicæ in quoddam quasi corpus conjunxerat Provinciæ inchoatæ, certo illis ac proprio constituto præside, quem Vice-Provincialem appellaverat. Gratissimum id acciderat multis ejus gentis catholicis, nobiles præsertim, & laicis, qui viderent hoc modo Societatem in patria sua radices figere, ac perennare quodammodo fructus, quæ ex ejus laboribus uberrimi percipiebantur. Hinc ditioribus injecta mens eandem domiciliis augendi, quibus multiplicatis sperabant fore aliquando, ut provinciam haberent instar cæterarum integram, & absolutam. Prior omnium Anna Arundelia (femina in primis locuples, ac vidua Philippi illius comitis Arundelii, qui catholica religionis accusatus, & in arce Londinensi capitis damnatus, illustre testimonium veritatis dedit), cum inaudisset quæri a nostris locum exercendis qui tertium probationis obeunt annum sacerdotibus, idque modo unum ad rationem provinciæ desiderari, donum satis commode instructam coemit Gandavi, ac Societati Anglicanæ in eum quem dixi usum addixit, dotavitque. Eodem consilio alii ex proceribus pecunias obtulerunt, unde nova intra Angliam collegia, cujusmodi tandem in illa temporum atrocitate poterant, fundarentur. Quæ cum re ipsa exstarent, satis justus inveniebatur pro ratione provinciæ numerus domiciliorum, nullaque earum conditionum, quas provinciæ nomen & dignitas postulat, deesse videbatur. Principio erat in agro Londinensi domus primæ probationis, qua carere provincia nulla debet, in eaque tirones sexdecim censebantur. Tum collegium S. Francisci Xaverii in Wallia, collegium B. Aloysii in comitatu Lancastriensi, collegium immaculatæ Conceptionis in comitatu Derbyensi, collegium SS. Apostolorum in Essexiensi. His adde residentias, ut loquimur, seu minora domicilia septem intra ipsam Angliam: nimirum Sancti Joannis, S. Michaelis, S. Dominici, S. Georgii, S. Mariæ, S. Thomæ Cantuariensis, & B. Stanislai. Extra Angliam alia erat tironibus assignata domus Leodii, certus scholasticorum numerus alebatur Lovanii, florebatque frequentissimum contubernium externorum adolescentum Audomari. Præter hæc, erecta nuper Gandavi fuerat, ut dictum est, domus tertiæ probationis, agebaturque, tum de transferendo Watenas Leodiensi tirocinio, tum de constituendo Leodii collegio maximo studiorum, ut anno proximo effectum demonstrabimus. Quæ cum ita se haberent, adesse jam tempus putabant multi catholicorum, quo Societas Anglicana provinciæ jure ac nomine donaretur: cum præsertim parva hoc tempore catholica rei tranquillitas, & quæ affulgebat meliorum temporum quasi certa spes, dubium omne eximeret, ne non stabilis futura esset novæ provinciæ institutio. Novissime P. Richardus Blondus Vice-Provincialis selectos quadraginta Patres Londinum vocaverat, ut deliberarent de re communi. Ii vero, cum alia multa, tum illud nominatim rogandum decreverant Præpositum Generalem, ut Angliæ Viceprovinciam vellet juberet in posterum Provinciam esse, elegerantque P. Henricum Silifsonium, qui Romam profectus Mutium doceret de negotiis in ea congregatione tractatis. Cum ergo adesset Silifsonius Romæ, eo per otium audito, aqua postulari vidit Mutius, proindeque rem multorum votis tantopere concupitam minime extrahendam putans, Anglicanam Vice-Provinciam justæ Provinciæ nomen & jus deinceps habere voluit, eique Richardum eundem Blondum Provincialem primum præfecit. Supra dixi, nonnullam hoc tempore quietem catholicis fuisse concessam. Auram hanc tranquillitatis afflaverant nuptiæ, quæ inter Carolum Wal-
lia

liæ Principem regni hæredem, & Mariam Austriacam Philippi IV. Regis Catholici sororem, agitabantur. Nam cum Hispanus, pro innato suo erga religionem studio, inter alia matrimonii pacta proponeret, ne leges contra catholicos late exercerentur, id omne Anglus earum nuptiarum percupidus pollicebatur. Reipsa deserat jam obrudi catholicis damnata illa juramenti formula, de qua dictum est alibi. Quin anno labente, Carolo in Hispaniam ad matrimonium rite contrahendum transgresso, Jacobus Rex laicos omnes, & sacerdotes, qui causa religionis essent in vinculis, solvi jusserat, vetueratque ne quis in posterum catholicos, ac Jesuitas nominatim ob similes causas ad carceres vel tribunalia traheret. Quo edicto compressæ paulisper licitorum avidæ manus, & severi actiones fori intermissæ fuerunt, magno religionis emolumento: quæ quidem brevi in integrum restituenda videbatur, si pax fuisset diuturnior. Adeo multi in illa paucorum mensium malacia ad catholicum cultum rediere. At rescisso certis de causis nuptiali illo contractu, spes omnis inde concepta prorsus intercidit. Jacobus enim Britannia Rex contemptum se ab Hispanis putans, ad ingenium rediit, erupitque contra catholicos tempestas eo acerbior, quo fuerat serenitas hujus anni jucundior. Sed hæc erunt alterius loci.

Interea Londini casus æque inopinus, ac calamitosus annum provinciae natalem magnopere contristavit. Londinum ex Belgio venerat Pater Robertus Drureus (Betfordium alii vocant, nam utrumque homini cognomen fuit) vir multarum litterarum, & magni nominis concionator. Ad eum audiendum tanta frequentia concurrerunt catholici VII. Idus Novembris, ut in cubiculo haud satis amplo homines compingerentur ducenti & quinquaginta. Cum majus esset onus, quam cariosæ pavimenti trabes ferre possent, in medio orationis cursu subsidit repente pavementum, corruique tanto impetu, ut subjectam quoque contignationem in ruinam traxerit. Eo casu, præter plures faucios, & varie multatos, extincti sunt cum Betfordio catholici circiter nonaginta. Clades oppido miserabilis ac luctuosa, quæ tamen, quantum conjectare licuit, opprellis saluti fuit. Nam cum orator disseruisset de contritione, quam theologi charitate perfectam dicunt, multa adjecerat apposite ad excitandam inter audientes vehementissimam contritionem, atque ita ferme perorandum susceperat. *Hunc adire nos decet semper patentem misericordiae fontem: hoc, quod semper in promptu est, vulneribus nostris remedium est adhibendum. Ne quæso rem adeo salutarem procrastinemus: nec enim quisquam nostrum novit, sit ne victurus in crastinum, & sacerdotis copiam habiturus. Quæ locutus, quasi quod futurum erat animo præsentiret, præire verba coepit ex formula contritionis perfectæ. Gemitibus omnia planctuque personabant, cum subito ferit aures crepitus dissidentis tigni, cui pavementum internebatur, totaque succlamante concione, & misericordiam Numinis implorante, eam quam dixi ruina secuta est: ut non immerito sperare liceat, qui sic decesserunt, eos opportuno ad salutem tempore decessisse. Illud etiam evenit feliciter, ut adesset forte sacerdos Benedictinus, qui collabentem turbam & vociferantem, ut in eo tumultu licuit, solemnibus verbis expiavit. Concioni interfuerant ministri duo calvinistarum, quorum alter evasit fracto duntaxat brachio, alter omnino incolumis. Ex iis unus ad catholicos confestim accessit. Alius, etsi cultum non mutaret, tamen illius eventus historiam miræ æquitate scripsit, atque inter alia professus est, minime dubitare se, quin catholici eo loco ac tempore feliciter obiissent. Ad strepitum collapsæ domus accursus undique est magno numero: non omnes tamen triste ac ferale spectaculum æque commovit. Boni, & quicumque aliquo humanitatis sensu tangebantur, tot cives tam miserabiliter interemptos doluerunt. Contra fax plebeculæ, ac puritani, occasione inde sumpta, in religionem catholicam, tamquam manifestis a Deo indicis reprobata, multa impie ac contumeliose jactarunt, atque infortunium maligne interpretantes, maledictis conviciisque in mortuos*

To. I.

I i

favie-

65.
Quies aliqua
catholicis con-
ceditur, & qua-
re.

66.
Memorabilis
clades catholi-
corum ex for-
tuita ruina.

67.
Spes de salute
illorum sempi-
terna.

68.
Diversa homi-
num judicia de
calu tam lu-
ctuoso.

sævierunt. Par immanitas erga illos, qui vivi, aut semivivi potius ex rudibus eruebantur. Fuere qui eos luto & lapidibus per summam inclementiam appeterent. Verum hæc ab inimicis utcumque tolerabilia. Multo angebantur gravius nostri sermonibus aliorum, qui orthodoxi & sacerdotes cum essent, audiebantur tamen de re ita differere, perinde quasi bene, ac divino plane consilio factum id esset, ad plectendam Betfordii temeritatem, qui sine venia Episcopi recens Angliæ dati ausus esset concionem habere.

69.
Quomodo administraretur in Anglia religio ante hoc tempus.

70.
Novus ibi Episcopus constituitur.

71.
Qui offendit apud Regem, proscibitur, & moritur.

72.
Ejus parum æqua consilia adversus Societatem.

Quo loco res ipsa me admonet, ut de celebri dissensione dicere incipiam, quæ sæculares in Anglia presbyteros, ac regulares aliquandiu in partes factionesque distraxit. Scio equidem, materiam agi invidiosam. Sed præterquam quod ratio historiæ postulat ne intacta prætereat, moveor ad scribendum tot illis libellis, quibus ob eam causam nonnulli Societatem indignissime traduxerunt: nec plura tamen dicam, quam necesse sit ad judicandum, utrum in eo negotio Societas injuriam fecerit, an passa fuerit. Episcopis Romanæ communionis penitus absumptis in Anglia, censuerant Clemens VIII., & Paulus V. ob justas causas, nullum ibi exinde Episcopum esse constituendum, etiamsi sæpe Catholici dari sibi suæ religionis Antistitem petiissent, & sæpe legatos Romam hac una causa misissent. Religio administrabatur initio per Sacerdotes a summis Pontificibus submissos, qui Parochorum & pastorum vice fungebantur. Additus sub finem superioris sæculi Archipresbyter, qui clerum regeret: ita tamen, ut nihil posset majoris momenti statuere, nisi Romæ prius consulta, & Cardinali Angliæ protectore. Jam quæ potestas in clerum sæcularem Archipresbytero erat concessa, eadem superioribus primariis regularium, & seminariorum præcipue rectoribus tribuebatur in suos, quippe quos & melius cognitos haberent, & in officio continere facilius possent. Viguit hæc regendi cleri ratio annos amplius viginti: donec anno proxime evoluta spes restituendæ in Anglia religionis, aut saltem persecutionis mitigandæ, quæ ob nuptias catholice uxoris cum regio hærede offerebatur, persuasit Romanæ curiæ, quamvis multum dissentientibus Cardinalibus rerum Anglicarum peritis, posse jam non incommode Episcopum ibi constitui, atque ita paulatim revocari in Angliam regiminis formam, qua in catholicis ubique regionibus clerus gubernari solet. Hoc consilio decretus est Romæ novus in Anglia Episcopus, delectusque ad eam dignitatem Gulielmus Bishopus doctor Sorbonicus, qui unus præ cæteris ab Anglicani cleri procuratoribus exposcebatur. Verum, ne Episcopis heterodoxis suspensionem afferret ea novitas, non Anglicæ ullius, sed Chalcedonensis ecclesiæ titulo Bishopus est insignitus, nec tradita illi auctoritas nisi delegata, qualis Vicariis Apostolicis tribui solet. Ipse autem in primis monitus, ut pedetentim ac moderate rem, quasi tentandi vadi causâ, gereret. Consilium, etsi prudenter compositum, non successit. Bishopus mandatorum immemor multa moliri statim, ac designare coepit fidentius, quam turbida illa tempora paterentur, quæ mei non est instituti quærere. Quod ad rem pertinet, Rex, Pseudoepiscopi, Senatores, regnum prope universum contra illum consurrexit. Simul ergo ac notæ exortæ sunt offensiones inter Hispaniæ & Angliæ reges, & abscissa spes affinitatis inter illos prope contractæ, proponitur Londini edictum atrox, tum contra catholicos universe omnes, tum nominatim contra Chalcedonensem. Is, qui videret nonnullam in se fuisse causam cur catholici denuo vexarentur, publicam invidiam non ferens, & coactus mutare subinde latebras necaperetur, partim his incommodis, partim mœrore confectus interiit, octavo post mense quam Angliam ingressus fuerat. Quæ ille tam brevi tempore, seu recte, seu perperam inceperit, nihil moror. Consilia quidem certe coquebat contra nos, ac regulares omnes parum æqua, quæ perficere morte interveniente non potuit, sed successori, ut infra differemus, reliquit. Quod ad nos attinet, vix in Angliam delatus Provinciali Blondo aperte denunciaverat, valde, ac juste queri Anglicanum clerum, quod Jesuitæ nationis se-

mina-

minaria duo interceptissent, Romanum, & Hispaniense: sed curaturum se pro viribus, ut ea dimittere compellerentur. Mitto alia, ne refricare sine causa videar antiqua vulnera. Ut omnia paucis complectar, non alio proposito in Angliam venisse Bishopus videbatur, nec forte alio fuerat a procuratoribus cleri expetitus, quam ut vexaret homines Societatis, eosque loco cedere demum cogeret. Id sane Mutio ex Anglia perscripserunt viri gravissimi, & fidei profus incorruptæ. Auditum sibi aiebant de clero non neminem cum gloriaretur, effecturum brevi Chalcedonensem, ut quantum esset in Anglia Jesuitarum, alio migraret. Id ipsum Jacobo regi non obscure significatum invenio. Nam cum de Bishopi adventu cognovisset, eaque causa vehementius commoveretur, placatus fuisse dicitur sermone cujusdam nobilis Belgæ, cessurum id affirmantis ad ipsius vota. Quippe per Episcopum Roma missum Jesuitas certissime oppressum iri. Societatem ab eo, vel extrudendam penitus, vel certe clero ita subjiciendam, ut sua ministeria obire cum aliquo fructu non posset. Quibus rebus auditis, quievissent Regem ferunt, ac familiaribus affirmasse, demptam sibi aliquando tandem esse de Jesuitis sollicitudinem: aliis enim curæ fore, vel quiescente se, ne in Anglia diutius consisterent. Hæc qualiacunque videri possint, ideo attingenda censui, quod ad ea quæ deinceps narraturi sumus lucem afferunt: tum etiam ut veræ intelligantur causæ tot illarum criminationum, quibus aliqui de clero nos apud Pontificem maximum onerare non cessabant, eo usque progressi, ut palam conquererentur, graviora se a nostris pati, quam ab hæreticis.

Sed quo illi essent erga nos animo, nusquam patuit luculentius, quam cum sermonibus æque invidiosis ac falsis obterere famam P. Joannis Percæi conati sunt. Rem ab aliis aliter traditam ego ita exscribam, ut est in litteris fide dignis. Initio anni custodiebatur in carcere Londinensi, quem vocant novum, P. Joannes Percæus, cui & Fischeri cognomen: utque ad eum custodes faciliem præbebant unicuique aditum, nunquam fere deerant, sive heretici, sive catholici, quos piis detineret alloquiis, & rebus coelestibus erudiret. Nactus proinde rei bene gerendæ facultatem, & copiosam animarum messem, fruebatur suis vinculis sic, ut oblata sæpius occasione fugiendi, uti nunquam voluerit, ac tunc solum admisit libertatis beneficium, cum ultro cunctis catholicis vincit, ut dicebamus, delatum est jussu Regis. Præter alios plures, ab hæresi liberaverat Percæus Vicecomitem Purbekium, virum nobilitate præcipua, fratrem Georgii ducis Bukingamii, cujus consiliis Rex vel unice, vel præcipue regebatur. Vicecomes dehinc, quod pronum erat, matri suæ similiter persuaserat, ut Percæo se permitteret instituendam. Ab eo autem errorem dedocta mulier minime pertinax, nullo negotio ad catholicos adducta fuerat. Gravissime ferebat Rex hujus transitionem feminæ, matronæ scilicet tota Anglia spectatissimæ. Multa molitus, cum per se, tum per alios, ut eam ad priorem cultum retraheret, ubi sensit a suo præceptore sic institutam, ut nullis rationibus vinci posset, adesse Percæum jubet coram Bukingamia, ac de quibusdam religionis capitibus concertare cum doctore Vitho, quo ipse sacrorum ministro utebatur, viro in paucis eloquenti & litterato. Disputationi ut intersint certi arbitri, ac testes edicit. Periculum non declinavit Percæus, fretus bonitate causæ, & doctrina sua, maxime vero gratiæ coelestis auxilio, quam sibi eo loco defuturam non timebat. Die igitur præfinita, in ædes Bukingamiæ conventum est. Aderat ipsa cum Duce Georgio filio, de quo dictum est supra, itemque Pseudoepiscopus Lincolnienfis cum aliis quibusdam paucis, sed electis. Qua fortuna pugnatum hinc inde fuerit, conjecturam facere licet ex eventu. Acta disputationis, quæ fuerant excepta litteris, jussu Regis suppressa fuerunt. Bukingamia facta est catholicæ doctrinæ tenacior, & quem dixi Episcopus Lincolnienfis, quamvis heterodoxus, doctrinæ modestiæque testimonium Percæo dedit, satis bene defensam ab eo dicitans malam causam. Ipse Vithus aperte professus est, rem sibi fuisse cum valido adversario, qui suas partes egregie

To. I.

Iii 2

tue-

73.
P. Jo: Percæus
fidei causa vin-
ctus plures ad
fidem pertra-
hit.

74.
Disputare cogi-
tur de religio-
ne. Disputa-
tionis quis fue-
rit exitus.

75.
Calumniæ con-
tra Percæum
conficiendæ diluun-
tur.

tueri sciret. Et nihilominus, quia aliquanto post mulier, partim Regis aucto-
ritate, partim filii precibus lacrymisque permota, externam fidei professionem
deseruit, conspectaque semel est in facello regio concioni hæreticorum interesse,
& mysticam, quam vocant, coenam sumere; quidam de clero catholici Socie-
tati aperte infensi ansam inde arripuere multa spargendi in vulgus, quæ Percæo
infamiam inurerent. Hominem, aiebant, ab ingenio ac litteris inopem te-
mere ausum esse certare cum præpotenti adversario, ab eoque turpiter supe-
ratum fuisse. Hinc præbitam Bukingamiæ occasionem ad hæresim relabendi.
Quibus rumoribus, non Angliam modo, sed & Belgium, & Galliam, &
quod maxime cordi erat, Romanam curiam impleverunt. Facili negotio ca-
lumniæ depulsa est, contra quam ipsimet hæretici testimonium dixerunt. At
nihil malignas voces æque compressit, ac ipsa Bukingamia. Etenim paulo post
facti pœnitens, hæc suis verbis nunciari iussit Regi. Se quidem, ut ipsi grati-
ficaretur, veræ religionis cultum externa specie deseruisse: at respuisse jam Deo
propitio: damnare vehementer impietatem suam, seu levitatem potius, nec
ullis vel commodis, vel periculis tale quid admissuram in posterum. Dictis con-
fenserunt facta. Aulam reliquit statim, secessitque in suburbanum, ut crimen
violatæ religionis elueret confessione piaculari, & nova fidei catholice profes-
sione. Ibi Percæum apud se retinens, ejus ductu magnos in pietate progressus
fecit, donec post annos decem vitam pie actam in ipsius manibus feliciter clau-
sit. Sed a rebus Anglicis ad Gallicas progrediamur.

76.
RES FRANCIE.
Gravis oritur
disceptatio Bi-
turici ob qual-
dam moniales.

In provincia Franciæ gravis in Societatem exarsit hoc anno invidia, cu-
jus causæ paulo altius sunt repetendæ. Parthenones virginum Theresianarum
haud ita pridem in Gallia fuerant constituti, eosque nuperrime Gregorius XV.
curandos tradiderat Patri Berullo, Congregationis Presbyterorum oratorii
Præposito generali, & duobus Parisiensis Academiæ doctoribus. Obstitabant
Pontificio decreto Moniales Bituricenses, nec adduci poterant ullo pacto, ut
aliis subesse vellent moderatoribus, quam quibus usæ fuerant hætenus: ne
vero cogerentur, tuebantur se litteris Apostolicis, quas aiebant ab eodem Pon-
tifice sibi concessas. Cum pertineret hujus cognitio causæ ad Cardinales Vallet-
tam, & a Rupefocaldia, quippe quibus Gregorius injunxerat, ut Presby-
teris Oratorii subjicerent Theresianas, prædicti Cardinales, audita illarum virgini-
um contumacia, Biturices ire jusserunt cum potestate judicis doctorem quen-
dam Sorbonicum, ut de causâ cognosceret. Is vero, ut erat ingenii paulo fer-
vidioris, nullo respectu, nec Pontificii quod Moniales obtendebant privilegii,
nec appellationis, quam ad sedem Apostolicam interponebant, omnes & sin-
gulas monasterii virgines anathemate feriit, & per libellos palam propositos
populo vitandas denunciavit. Statim mota quæstio, magnisque hinc inde stu-
diis agitata, an censuræ valerent. Negabant aperte plures, cum ibi, tum
Parisii theologi, & canonici juris consulti, minus legitime fecisse judicem
delegatum contendentes. Aliter alii sentiebant. P. Ignatius Armandus Pro-
vincialis ab ipso controversiæ nascentis exordio vetuerat districte fociis, ne
quam ejus contentionis partem attingerent. Sed quanquam illi parerent, dis-
sidio impliciti sunt vel inviti. Nam quia neminem ob eam causam ab usu sa-
crorum arcebant Bituricibus, multique ex iis qui cum Theresianis communi-
caverant, palam ad mysteria admittebantur in templo Societatis; inde factum
ut Berullani, quique ab eorum partibus stabant, quererentur passim Jesuitas
favere monialibus, easque ad contumaciam confirmare. Negante id ita esse
Provinciali, postulatum est ab ipso, ut siquidem vera diceret, socios Bituri-
censes pro imperio cogeret ad Moniales aperte damnandas. Hic ille pendens
animi, multumque ambigens, tuto ne id imperari in tanta opinionum varie-
tate posset, Theologos collegii Parisiensis in consilium adhibuit. Visa omnibus
parum æqua postulatio. Unus, quo probatiorem faceret sententiam suam, at-
que omne Provinciali dubium eximeret, brevi scripto complexus rationes,
ob quas censuræ prorsus irritæ viderentur, qui ita censerent, eos noxæ dam-
nari

77.
Controver-
siæ implicantur
nostri, quamvis
inviti.

nari non posse conficiebat. Quocirca Armandus, qua cœperat insistens, nihil fociis præiniendum censuit in alterutram partem. Monuit tamen Patres Parisienses, ne suos ea de re sensus cum ullo externorum communicarent, in primisque ne scriptum illud in publicum ederent vetuit. Scriptum nihilominus, nescio cuius culpa, vel incuria, ad manus externorum venit, nec multo post typis vulgatum est. Id, tametsi auctore vel invito, vel inconsulto factum, vix credibile quam vehementer multorum animos concitaverit adversus Societatem. Fuere statim qui scriptum ipsum Romam transmitterent ad Pontificem maximum, aliquos nostrorum accusantes nominatim, quod de pontificia potestate iniquius sentirent, ac theses illi injuriosas publice tuendas suscepissent. Quis jam consequi verbis possit, quo doloris sensu Mutius Gregorium audiverit exoptulantem, minui auctoritatem suam per homines ejus ordinis, quem ipse eximie diligeret, & usque ad illam diem tot tantisque beneficiis ornasset? Veniam precatus, curæ sibi fore dixit, ut si qui vere essent, quod vix credebat, tam projectæ temeritatis rei, ii non abirent impune. Atque illud quidem ægre Mutius sibi persuadebat, potuisse nostros contra pontificiam potestatem, non solum loqui liberius, verum etiam theses aliquas, ut accusatores nunciabant, defendere. Tamen cum affirmaretur a Pontifice, & nonnullam suspicionem moveret quam habebat ob oculos consultatio typis impressa, scripsit ad Armandum, ut questionem severissimam institueret, & siquidem vera invenirentur quorum duo tresve ex nostris fuerant accusati, eos gravissime plecteret. Armandum interea ipsum certa poena damnabat, propterea quod Monialium Bituricensium causam in consilio Patrum deliberandam proposuisset. Poenam Armandus, etsi nullius sibi culpæ conscius, obedienter subiit. At quæ de thesibus nunciata fuerant uti certa, comperit meras esse malevolorum calumnias, ad creandam Societati invidiam confectas, idque Romam perscripsit. Verum accidit perincommodè, ut optimus Pontifex ante moreretur, quam Romam pervenirent documenta, quibus nostrorum innocentia nitebatur. Ad extremum, demigrantibus Theresianis ex urbe Bituricensi, molestiarum occasio sublata est: nisi quod resedit tamen in Archiepiscopo nonnihil offensionis, quia persuadere Patribus nunquam potuit ut pro concione dicerent, deliquisse eos graviter, qui sententiæ contra moniales pronuntiata non paruisent. Atque hæc de provincia Parisiensi.

Tolosanæ dedit hic annus collegium Carcafonensè. Est Carcafo urbs prænobilis Occitaniæ ad Atacem amnem, salubritate cœli, soli feracitate, frequentia & opulentia civium insignis. Cives, regnante adhuc Henrico magno, Societatem apud se collocandam decreverant. Sed eorum consiliis tunc obliterat urbis Episcopus Christophorus Lestangius, nec vero alia causa, nisi quod rem incepissent se penitus inconsulto. Opus a se disturbatum tentaverat ipse postea: sed quamvis eo auctore primores urbis dedissent jam ad Præpositum generalem litteras, domum & censum offerentes, rogantesque ut votis additissimæ civitatis annueret, ne tunc quidem res ad exitum perducere potuerat, nec habeo dicere quid obstaret. Felicius tandem hoc anno manum operi admoverunt urbis consules. Viri enim Societatis cupientissimi primum omnium ne qua alicunde mora operi fieret, providerunt: cumque mox inter ipsos, & provinciæ præpositum P. Bartholomæum Jacquinetum convenisset, quibus vicissim conditionibus illi collegium traderent, hic reciperet; nulla interposita mora Carcafonem est missus cum lecta sociorum manu P. Joannes Forerius, & collegium publicatum. Nonnulli civium fuerant antea Societati iniquiores: sed intra paucos menses, nostrorum ministeriis delectati, adeo mentem mutarunt, ut collegium in loco beneficii longe maximi haberent.

Etiam provincia Campaniæ duobus collegiis aucta est, Senonensi, & Altissiodorensi, de quorum initiis aliquid hoc loco indicandum. Altissiodorum, olim Celtarum civitas, nunc Burgundionum, sita ad amnem Icaunam, notior est quam ut ejus antiquitatem, aut opulentiam exequi necesse sit. In

hac

78.

Accusantur a-
pud Pontificem.
Quid Mutius
constituerit.

79.

RES
Tolosanæ.
Fundatur colle-
gium Carcafo-
nensè.

80.

RES
Campaniæ.
Fundatur colle-
gium Altissio-
dorensè.

hac olim urbe agitatum fuerat de tradendo Societati gymnasium publico civitatis, eaque potissimum mente Episcopus Jacobus Amiotus suo aere gymnasii aedificium absolverat. Cum obiisset prius Episcopus, quam posset cogitata perficere, nec multo post, Societate toto regno exulare iussa, negotium abruptum penitus, desperatumque esset, nihilominus Altissiodorenses ad curam novi gymnasii magistros vocaverant nulli religiosorum familiæ addictos, ea mente, ut dimitti possent facilius, si quando, quod futurum sperabant, Societas in Galliam reverteretur. Revixerunt civium optimorum vetera illa erga nos studia, ubi primum postliminio fuimus revocati. Sed quamquam de tradendo nobis gymnasium suo deliberarent statim, collegium tamen ante hunc annum perficere non potuerunt. Moræ causa antiqui census angustia, qui minus erat ad collegii dotem idoneus. At nunc quod deerat Antistes urbis Franciscus de Donadieu, Canonici, & quam præsidialem vocant Curia, mira non solum liberalitate, verum etiam consensione suppleverunt. Miranda in primis accidit veterum professorum modestia, qui iussi aedes gymnasii, quas hactenus incoluerant, cum adnexo vestigiali nobis tradere, adeo non repugnarunt, ut imo rem maturandam curaverint, aperte profitentes, potiorem sibi esse publicam utilitatem, quam suam. His prope similia fuerunt collegii Senonensis primordia. Robertus de la Menardiere, gente Northmannus, nec minus pietate quam genere insignis, post fundatum nobis Cadomi domicilium, adjecit animum ut idem Societati beneficium præstaret Senonibus, facile confectum iri negotium putans, si modo cives gymnasium, quod habebant pro ludimagistris annuo dotatum censu, nostris hominibus commissum vellent. Egit hac de re vehementer, cum apud cives, tum maxime apud urbis antistitem Cardinalem Perronum, auditusque ab utrisque est auribus secundissimis. Cives nihil moræ futurum spondebant ne gymnasium traderent, si tantum Rex Patribus Societatis jus domicilii indulgeret. Cardinalis, de cujus in nostrum ordinem benevolentia nihil attinet hoc loco dicere, cum forte ægrotaret, seque eò morbo moriturum perentisceret, misit e vestigio familiarem quemdam suum ad Regem, hanc unam ab eo mercedem petens tot officiorum suorum, ut Societati jus domicilii tribueret in urbe Senonensi. Annuat petitioni Rex nulla mora. Quod ut Cardinali nunciatum est, exclamasse dicitur: *Nunc libenter morior*. Ne tamen solo verborum officio rem provexisse videretur, confectis supremis tabulis, sex aureorum millia collegio mox futuro transcripsit. Lætus successu consiliorum suorum Robertus, id agebat, ut monasterium S. Columbæ, quod ipsi fuerat commendatum, in dotem collegii transferretur: sed nihil amplius impetrare potuit, quam ut civitas nostros homines in gymnasii publici possessionem immitteret. Idem favere Societati pergens usque ad extremum, meruit, non tam pecuniarum largitionibus, ceteroqui non exiguis, quam curis pro collegio susceptis, ut ejus fundator a Mutio appellaretur. Ceterum angustius habitabant in eo domicilio Patres, & perincommode. Vidit post aliquot annos rex Ludovicus XIII., cum forte Senones ex itinere divertisset; perspectaque rei necessitate, novum extrui aedificium regia liberalitate iussit. Diploma edidit ipso natali die S. P. Ignatii. Eo autem diplomate præfatus, transeunti sibi per urbem Senonensem nihil æque visum ad publicam utilitatem pertinere, ac domum Societatis, in qua juvenus litteris bonisque moribus informaretur, eidem ex integro aedificandæ attribuit ad quinquennium quintam partem vestigialis, quod sibi ex vini portorio proveniebat. Quo subsidio aedificium satis elegans intra paucos annos ad culmen eductum est.

82.
Quod a Ludovico XIII. postmodum ex integro aedificatur.

83.
P. Caroli Lenortii mira levitas. Consilia Mutii circa illum.

Inter hæc non nullam Mutio curam injiciebat ex eadem provincia. P. Carolus le Nort, cujus levitas utili esse documento poterit nostris hominibus, ne suæ professionis unquam obliviscantur. Lenortium ad se invitaverat Henricus dux Lotharingæ, nec dubitaverat Provincialis, ne non illius opera uti vellet in aliquo sacri ministerii genere, quod moribus & instituto Societatis congrueret. Hac persuasione concessum, audit paulo post, non

Nau-

Nancei in collegio, sed in secessu nescio quo prope Nancejum degere, & vanissimam artium facitare alchimiam. Doluit vehementer Præpositus (erat is P. Joannes Bouvetius) his nugis ab instituto nostro alienissimis occupari hominem Societatis. Dum secum deliberat quid facto opus sit, & caute rem tractat metu Principis, Lenortius nescio quorum litteris ejusdem noxæ deferatur ad Præpositum generalem. Commotus indignitate rei Mutius, nec differendum malo remedium putans, scribit continuo ad Provinciale, moneat suis verbis Lenortium, ne quam operis alchimistici partem attingat, neu extra domicilium Societatis usquam habitat. Quibus porro litteris id ita fieri Mutius jubebat, minime esse metuendum addidit, ne Dux serenissimus ob eam causam offenderetur. Ea pietate prudentiaque principem facile intellecturum, agi rem exempli pessimi, nec minus famæ, quam disciplina Societatis periculosa: nec vero postulaturum, ut ejus voluntatibus Societas obsecundet, nisi salvo officio, & intra præscriptum institutorum suorum. Hæc Mutius. At dum Provincialis mollius timidiusque exequitur imperata, ac rem trahit, Dux, cæteroque nostri ordinis amantissimus, curaverat sibi jam litteras a Pontifice maximo, quibus Lenortio ab omni jure Societatis exempto permittebatur apud ipsum Ducem, quamdiu viveret, habitare. Nihil accidere Mutio poterat inopinatus. Jam ergo sentiens, malum præter spem in deterius esse prolapsum, simul prospiciens quantam labem ea novitas ordini esset illatura, quod unum expensis omnibus potuit, potestatem Lenortio fecit ad alium ordinem transseundi, curavitque per idoneos viros, ut facta potestate uti vellet. Consilium successit ex sententia. Lenortius in aliam religiosorum familiam immigravit, & inflicto Societati vulnus cicatricem utcumque duxit. Princeps autem, etsi ab initio commotior, secum deinde reputans aliud nihil in eo negotio actum esse, quam ne leges moresque ordinis labeficerent, pristinam nobis benevolentiam restituit.

Dum hæc in provincia Campania gerebantur, Lugdunensi plures deceferunt socii ad posteritatis memoriam illustras, ac singulare elogium in hac historia promeriti. Primo elatus est loco Dolæ P. Valerius Reginaldus, vir inter ævi sui theologos nominatissimus. Nascentem exceperat Usia, pagus diocesis Bisuntinæ in comitatu Burgundico. Parentes fortitus generis rusticani, non ideo regendæ stivæ puer fuit adnotus, sed Lutetiam missus, ut ingenium, quod obtinuerat a natura acre ac vividum, studiis liberalibus exposciret. Spem de se conceptam Valerius non fefellit. Post datam feliciter operam litteris humanioribus, transtulit se ad severiores facultates, nactusque magistros Joannem Marianam, & Joannem Maldonatum, miros eorum ductu progressus, præsertim in sacris paginis interpretandis, fecit. Hinc, tametsi Societatem poscenti obstare videretur naturale quoddam impedimentum, eum tamen moderatores libentissime admiserunt, prudenter rati de summo jure aliquid remittendum, ne juvene tantæ spei carerent. Paulo post tirocinium, collegii Burdigalensis incunabula illustravit cursu philosophico, quem deinde etiam Mussiponti, ac Parisiis peregit. At tandem ad moralem theologiam translatus, hanc scientiam viginti ipsos annos Dolæ tradidit, in qua quantum præstaret, satis ejus indicant volumina sapius recusa, & ubique a sapientibus in pretio habita. Par in Reginaldo eruditioni pietas, par doctrinæ demissio animi. Ea fama vir, cujus visendi studio ex remotioribus sæpe locis multi Dolam veniebant, quemque eruditissimi quique in consilium adhibebant, de se ac rebus sui adeo humiliter existimabat, ut alieno nomine suos edi cuperet libros, ne Societatis famæ labem aspergerent. Suis laudibus perinde offendebaratur, ac alii contumeliis solent. Obscuritatem natalium, quam religiosi celare facilius possunt, ipse proferebat ultro, sæpe se de post foetantibus assumptum dictitans, alludensque ad parentes suos conditione villicos. Erga Christum patientem miro pietatis sensu afficiebatur. Nullus frequentior illi sermo, nullum meditandi argumentum suavius, quam de Christi cruciatibus.

Quo-

84.
Qui ad alium
ordinem transit.

85.
RES
LUGDUNENSES.
Obitus & elo-
gium P. Valerii
Reginaldi.

Quoties ad januam vocaretur, prius in sacram ædem paululum divertebat, & Christum in altari latentem adorabat. In proximorum salute procuranda indefessus, audiendis confessionibus, opificum præsertim ac pauperum, semper præsto erat, neque hunc laborem devexo licet, & fatiscente corpore unquam intermisit. Vires cum ætate multum consenuerant. Tamen ultra quatuor horas somnum non producebat, ne hieme quidem sæviente. Bis aut ter intra hebdomadam flagro se concidebat. Mortis nuntium tam læto excepit animo, ac vultu, ut ille tantum molestus accideret, qui de valetudine recuperanda, sermonem inferret. Ita plenus cum esset optimæ spei, placide expiravit pridie Idus Martii, annum ætatis supergressus octogesimum.

86.
Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Obitus & elo-
gium Patris Mi-
chaelis Coyf-
fardi.

Simillimus Reginaldo, ac geminus prope fuit eruditione ac virtute, P. Michael Coyffardus, gente Arvernus, patria Beslanus, quod oppidum est Claramontanæ dioceseos. Hujus tamen viri eluxit præcipue ingenium in poli-
tioribus litteris, & maxime in poetica facultate, quam ut ad utilitatem non
solum rei litterariæ, sed etiam pietatis traduceret, multas concinnavit exqui-
siti saporis, & pii argumenti cantiunculas sermone vernaculo, quæ deinde in
vulgus editæ cani passim cœperunt, aliisque amatoris & lubricis subrogata
fuerunt. Præter hæc, scripsit alia quadam graviora, quæ recensentur in no-
stra bibliotheca. At ejus eruditionem longissime superarunt, quæ potissima
sunt religiosi hominis ornamenta, demissio animi, patientia laborum, beni-
gnitas in agendo, ceteræque virtutes: quibus cum accederet singularis prudentia,
collegiis administrandis fuit adhibitus, rexitque cum eximia laude Tur-
nonense, Aniciense, Bisuntinum, Viennense, & Lugdunense. Pro salute
animarum nullum refugere laborem solitus, octonas sæpe horas in audiendis
confessionibus perstabat jejunos, idque in extrema etiam ætate: ægrotos vero,
nosocomia, carceres ita frequentabat, ut non alia libentius causa prodiret do-
mo, nec alibi hilarior, alacriorque, quam in his charitatis officiis exercendis
esset. Mortis recordatione, quæ plerisque mortalibus creare mœrorem solet,
recreabatur ipse plurimum, & re ipsa mortem instantem excepit animo, non
solum imperturbato, sed etiam læto erectoque, quippe in certa ac dulci spe
vitæ melioris. Lugduni elatus est iv. Idus Junii, post vitam ad annos usque
sex supra septuaginta productam. Mortuo habitus honor, qui vulgo solet vi-
ris sanctitatis eximie. Certarunt e populo multi, ut capillos ejus & vestes car-
perent, fueruntque qui dicerent, bene sibi ac feliciter evenisse, quod Coyf-
fardi opem in rebus afflictis invocassent. Nihilo minorem habebat sanctimonie
opinionem qui eodem anno decessit Camberii P. Nicolaus Pollienus, gente
Allobrox, de quo tamen pauca fuerunt litteris consignata. Nos eorum speci-
men damus. Sacerdos nescio quis gravis & probus, morbo cum decumberet
periculoso, vocatum ad se Pollienum rogaverat, sibi ut B. Virginem propi-
tiaret, cujus studiosissimum sciebat esse. Facturum promiserat Pollienus, cum
libenter, tum etiam studiose. Die postero, dum solus in suo conclavi sacer-
dos vigilat, ecce tibi ingreditur ex improvise Virgo beatissima, sequente po-
ne Pollieno. Affatur ægrotum, objurgatque leniter quod se remissius, nec ut
dignum erat coleret. Tum ad Pollienum conversa, accedere ad lectum propi-
pius, & manum sacerdotalem admovere pectori jacentis jubet. Quo imperata
faciente, momento eodem convaluit æger, spectaculi vero species evanuit. Ma-
gnum id sane argumentum benevolentie, qua sanctissima Dei Mater Pollienum
complectebatur. Aliud est, ex quo licebit conjecturam facere, quanta esset il-
li cum superis familiaritas. Camberio cum profecturi essent Annesium duo Pa-
tres, Pollienus tunc leviter ægrotans, postea quam comprecatus est illis per usi-
tata verborum officia faustum itineris exitum, O vos felices, inquit, quibus
licebit in suo presentem tumulo venerari virum illum sanctissimum, mihi que
carissimum, Franciscum Salesium! Hac illi a me referatis velim. Languere
clientem ejus lecto afflictum, nec vero de valetudine esse sollicitum, ut qui
latis jam diu superque vixerit: sed unum orare, ac porro velle, ut mori
con-

87.
Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

Mors & elo-
gium P. Nicô-
lai Pollieni.

contingat eodem die, quo ipse olim est mortuus. Id si impetraverit, nunquam amplius illi molestum fore. Mirum dictu! Patribus mandata fideliter executis, Pollienus ipsa die sanctis Innocentibus sacra, quæ dies anniversaria erat obitus S. Francisci Salesii, spiritum Creatori reddidit, annos natus sexaginta duos. Atque hæc de Provinciis Gallicis.

Ex Hispaniensibus gravi affecta est dolore Toletana, ob jacturam capitis longe carissimi P. Didaci Daza. Et eo quidem acerbior accidit talis viri jactura, quod in medio vitæ ac laborum cursu, & procul a conspectu sodalium interiit. Nam cum navigaret in Britanniam una cum legato regis Didaco Hurtado de Mendoza, quo amicissimo utebatur, coorta foeda tempestate, quæ classem ad dies quindecim huc illucque jactavit, adeo debilitatus est navigationis incommodis, ut in ipso itinere vitam cum morte commutarit, postridie Idus Octobris. Vir sane dignus vita longiore, & siquidem ex rebus gestis augurari gerendas liceat, futurus inter præcipua Societatis lumina, si diutius viveret. Olim delectus a Bernardo Sandovallo Archiepiscopo Toletano, Cardinali, & fidei Quæsitore supremo, ut collato cum Joanne Pineda studio indicem librorum expurgandorum conficeret, eo in opere sedulitatem, eruditionem, & prudentiam suam probaverat majorem in modum. Philosophiam Compluti, theologiam quæ de moribus est Placentiæ tradiderat, pari commendatione ingenii, atque doctrinæ. Transierat inde in Peruviam cum prorege Francisco Borgia Squillacii principe, cui erat a confessionibus: cumque confedisset Limæ, in ordinandis Ecclesiæ negotiis operam diligentem posuerat, Parochos aptos ad Indorum institutionem designans, repullulantem alicubi superstitionem suppressim, controversias, quæ subinde inter civiles & sacros magistratus exoriebantur, consilio, & auctoritate componens. Reverfus in Hispaniam, adscitus fuerat Toleti ab Archiepiscopo Cardinali in synodum dioecesanam, ut cum gravissimis viris consultaret de re communi, ac Censor fidei renunciatus. Ibidem theologiam docebat e nostris primus, scribebatque in epistolam S. Jacobi commentarium, qui deinde in lucem est editus: cum ad iter illud Britannicum evocatus, spem de se conceptam abruptit interitu immaturo, annum agens ætatis quadragesimum quartum. Ortum habuerat Colmenari, quod oppidum Tago alluitur haud procul Toletum.

Annum vitæ quartum supra centesimum decurrebat Vallisoleti P. Franciscus Perez de Naxera, Ledesma in dioecesi Salmanticensi natus. Eum nihilominus sibi ereptum vehementer doluit provincia Castellana, virum quippe viribus nondum omnino attritis, & adhuc in tam provecta ætate, sin minus laboribus, præsentia certe, & morum exemplo utilem. Ipsa obitus sui die, quæ fuit pridie Cal. Martias, descenderat mane summo in templum, & Eucharistiam, uti solebat quotidie, sumpsit: qua religione perfunctus, cum in suum se cubiculum recepisset, repentino defectu virium intra duas horas ex hac vita migravit. Priusquam Societati daret nomen, regebat Perezus curialem ecclesiam S. Blasii Salmanticiæ, ac sæpe a S. Theresia adhibitus fuerat ad excipiendas monasterii sui confessiones. Ea jam tum florebat opinione virtutis, atque prudentiæ. Serius quam ceteri soleant ad nostrum ordinem venit: annos tamen in eo posuit quadraginta septem omnino, nec parum hoc tempore, aut parvo fructu laboravit. Perdiu missiones difficillimas obiit ad montanos Galiciæ & Asturiæ populos, ex iisque latissimas animarum fruges in Christi horrea convexit. Abdidit deinde se in scholam infimam latinitatis, puerosque homo grandævus erudiendos suscepit: quo in munere tam prudenti ratione ac methodo usus est, ut ea docendi forma deinceps Oveti, Villagarsiæ, Compostellæ nostris exemplo fuerit. Postremo Pinciam traductus, partem vitæ ultimam non otiosus exegit in domo Professorum, curam sodalitiij cujusdam gerens, bisque intra hebdomadam sodales convocans, quos per omnia pietatis, ac pœnitentiæ præsertim officia exercebat. Erat jam annum centesimum supergressus, cum conspectus est agmen pœnitentium per celebriores urbis vias du-

To. I.

K k k

Sta-

88.

RES

TOLETANÆ.

Obitus est e-
logium P. Didaci
Daza.

89.

RES

CASTELLANÆ.

Obitus & elo-
gium P. Fran-
cisci Perez de
Naxera.

90.
Socii tres in incendio restinguendo pereunt Salmanticæ.

91.
RES ARAGONIENSES.
Mors & elogium Patris Michaelis Rodes.

etate, Incedebant hi supplicantium ritu, seque flagris diverberabant. Ille crucem ingentem nudis pedibus, & fune per collum demisso præferabat: quæ species civitatem incredibiliter affecit, mirantibus cunctis in tam decrepita senectute tam robustæ pietatis exemplum. Perezio denique Pincia multum debuit, cum ob alia merita, tum præsertim quod cœtum ibi collegit ex pueris vagari per urbem solitis, iisque aptam institutionem, & cibaria providit. Opusculum etiam scripsit instituendis pueris utilissimum, quod sæpius deinde recusum est. Præter Perezium, tres provincia desideravit socios, eosque lugubri sibi ereptos interitu. Accidit Salmanticæ v. Cal. Sextiles, ut in parte nescio qua urbis incendium repens excitaretur. Signo dato, ad restinguendam flammam celeriter accurrerunt ex collegio nostro duodecim, plerique ex juventute delecti. Dum opus exequantur ardentius, eoque præsertim, ubi plus laboris & periculi visebatur, convolant, tabulatum quoddam cui forte institerant, subita ruina corruens, tres eorum in subjectum ignem excussit. Duo interierunt statim flammis exusti. Tertius inde semianimis abstractus, quatri-duo post expiravit. Eodem casu, ex reliqua quæ affluerat multitudine, duodecim perierunt. Porro de tribus nostris ita mortuis scribens collegii rector ad Mutium, præcipue laudabat Joannem Polancum, & Franciscum a Costa, quippe juvenes ingenio, litteris, atque indole ex omni æqualium numero præcellentes: quorum proinde obitu, addebat, videri sibi collegium quasi mancum, & multis partibus debilitatum.

Par sui desiderium provinciæ Aragoniensi reliquit P. Michael Rodes, Gerundæ extinctus, quæ urbs illum ante annos sexaginta novem in lucem ediderat. Vir insigni pietate, & hoc etiam memorabilis, quod in ejus ad Societatem accessu impletum ferunt celebre vaticinium B. P. Ignatii, de quo hæc in monumentis invenio. Anno ante institutam Societatem decimo quarto circiter, cum esset Barchinone Ignatius, & delectos sibi socios adjungere instituisset, omnium primus ei se comitem obtulit Michael Rodes, hujus nostri Michaelis pater, tunc ætate junior, & adhuc cælebs. Repulit illum Ignatius, quodque futurum erat instinctu plusquam humano præsentis: *Nequaquam te, inquit, sed alium ex te nasciturum Michaelem Deus ordini per me condendo destinat, dabitque suo tempore. Ad te quod attinet, uxorem duces, forum terres, & patriæ utilem navabis operam.* Omnia uti prænunciata fuerant evenerunt. Ille juris prudentiam professus, causidicus magni nominis, & in sua civitate consultissimus fuit. Michael vero noster, statim atque adolevit, admitti petiit in Societatem. Illud auget admirationem, quod repulsi nescio quibus de causis adolescens a Provinciali, adjecerat jam animum ad Carthusianos, ab iisque ultro recipiebatur. Tamen tot inciderunt ex adverso, tanque inopinati casus, ut tandem, mutatis utrinque animis, in Societatem fuerit cooptatus. Inter nos cunctis eminuit virtutibus, quæ cadere in hominem religiosum possunt, pietate, charitate, prudentia, sed odio præsertim sui, & pia erga se ipsum crudelitate. Corpus cibi somnique parcitate quotidie afflictabat. Sæpe sibi flagra tam duriter incutiebat, ut exstarent deinde verberum cruentæ notæ, atque horrentes vibices, quibus curandis aliquoties chirurgo opus fuit. Ejus ductu, & institutione pietatem multi colebant: qui vero ejusdem hortatu in religiosa septa transfugerunt, innumeri fuisse dicuntur. Illam mali dæmones horrendis sæpe imaginibus incessabant, tum præsertim cum in precibus pernoctabat: at semper conatu irrito abscedere cogebantur. Ex omni cœlitum numero amabat colebatque præcipuo studio Rodesius parentem suum Ignatium, atque hic vicissim illum singulari benevolentia tuebatur. Documento sit quod subnecto. Barchinone Gerundam redeuntem oppresserat nox itinere. Multum adhuc supererat via. Intendebant se tenebræ. Circum mera solitudo, ac silentium. Ad hæc, cœlum horribili modo nymbosum. Rodesius, ægre viam tenebris nigrescentem carpens, & procellam ingruentem metuens, Ignatium supplex invocare. Nec mora. Facem modico intervallo præeuntem

vidit (cujus manu gestaretur, incertum), quem splendorem viæ ducem fecutus, duas fere leucas Gerundam usque confecit. Obiit vir præclarus XIII. Cal. Aprilis. Paulo ante quam expiraret, manus, pedes, os, oculosque ita profusus composuerat, ac si jaceret in feretro, eoque corporis habitu mortem appropinquantem exceperat. Sed jam a luctu & funeribus stilum ad latiora transferamus.

Latissimum sane Patribus Hispanæ Societatis hunc annum effecerunt initia novi cultus, quo Monebricæ illustrari cœpit mirifica illa S. P. Ignatii effigies, quæ nunc sanctitate loci, signorum multitudine, & concursu hominum, tota late celebratur Hispania. Ac merito quidem Patres ea re delectari plurimum debuerunt. Nam cum haberent antea Loyolæam domum in Cantabria, & specum Minoreffanam in Catalonia, anno de quo scribimus imaginem hanc quoque Monebricensis, Ignatii cultu haud minus insignem, habere cœperunt in Aragonia. Hujus narrationem rei nos a suis initiis exordientes, primum ut cœlesti manu depicta fuerit illa effigies, tum ex communi Monebricensium persuasione, tum ex impressa quadam relatione Antonii de Andrada exponemus: deinde ut miraculis eadem inclarescere cœperit, ordine expediemus. Primum ita traditur. Ante annos plurimos Rochus Villarius nobilis clericus Monebricensis, cum esset Bilbili Canonicis Sancti Sepulchri adscriptus, pictorem conduxerat, qui omnes religiosorum ordinum conditores sibi depingeret singulis tabulis. Rem executus pictor, unum præterierat Ignatium, sive oblivione, seu quod recens mortuum, nec dum cœlestium catalogo adscriptum, non putaret in eum numerum referendum. Tabulas post hæc longo dispositas ordine simul recognoscebant Villarius, & pictor: cum ecce tibi juvenis ignota facie, habitu peregrinus supervenit. Contemplatur attente imagines singulas, omnes probat majorem in modum. Verumtamen, sermone ad Villarium converso, desiderari quiddam, inquit, in illa serie. Namque ubi auctor instituta nuper Societatis Jesu Ignatius de Loyola, homo gente Hispanus, & de christiana republica insigniter meritus? Mirantibus illis, ac multa super Ignatio rogitantibus, descripsit breviter ipsius os atque formam. Quin, ait, auderem prima illius lineamenta ducere, si tela, ac cætera pingendi instrumenta præberentur. Præbita sunt nulla mora. Operi se hospes accinxit. Villarius & pictor loco cesserunt. Haud multo post, cum instaret prændendi hora, misit Villarius qui juvenem peregrinum ex labore ad epulas evocaret. Nusquam inventus est. Erat tamen effigies jam omnino perfecta, & ea quidem operis elegantia, quæ satis per se indicaret, plus forte quam humanum fuisse ejus auctorem. Ita pictam imaginem una cum cæteris, de quibus modo dicebamus, acceperat postmodum a Villario ecclesia Monebricensis: Verum, facti memoria labentibus annis intermortua, pendebat hoc tempore sacra effigies sine cultu in ecclesiæ sacrario, ubi ante annos sexdecim cum aliis multis virorum illustrium imaginibus fuerat collocata. Et forte extinguebatur penitus rei tam memorabilis recordatio, nisi eam miracula sane multa, & eximia excitassent. Quod uti gestum sit, nunc paucis evolvendum suscipimus. Monebricæ, quod oppidum est haud ita magnum territorii Bilbilitani, conciones habebat per quadragesimam jejuniorum P. Valerius Piquer, nihilque non agebat, ut cultum B. Parentis apud oppidanos amplificaret. Novissime cum ad eum venissent uno agmine loci sacerdotes, ut felices faustasque apprecarentur imminentes Paschatis ferias; se vero, respondit, faustissimas habiturum, si modo impetraret, ut imago quam viderat S. Ignatii e sacrario transferretur in sacram ædem, & populi venerationi proponeretur. Accepta est secundissima omnium approbatione petitio. Die eadem Vicarius oppidi certam templi aram designavit ornavitque, clerum convocavit, indictaque supplicatione, suis ipse manibus effigiem illam cum insigni cæremonia in templum intulit, & in parato altari collocavit. Aderat cum hæc acta sunt populi ingens numerus. Piquerus, occasione inde sumpta, de miraculis per Ignatium

To. I.

K k k 2

fa-

92.
S. P. Ignatii
imago Mone-
bricensis cœle-
sti manu, ut
traditur, picta.

93.
Venerationi
publicæ propo-
nitur opera Pa-
tris Valerii Pi-
quer.

94.
Multis miraculis illustrari incipit.

11. 1. 2

95.
Unum præ cæteris insignem miraculum.

96.

RES SARDINIÆ.
Obitus, & elogium Fr. Francisci Hortulani.

sæpe patris copiose dixit, nec frustra. Ejus oratione incensa præ cæteris est ad bene sperandum mulier, cui a duobus annis altera mamillarum horribili cancro putrescebat. Invocavit Ignatium supplex, ac momento eodem cancri omne vestigium abstersum est. Eidem cauterium ad curationem adhibitum tantum maligni humoris in tibiam contraxerat, ut nec unum promovere gradum posset, nec humi pedem figere, nisi adjuta. Nunc per totam ædem libere discurrebat. Dum ea miraculum magna voce, vix præ gaudii magnitudine sui compos, prædicat, alia ex adverso mulier clamorem tollit, se quoque Ignatii beneficium habere. Hæc brachium ex luxatione contractum gesserat decem mensibus, nullo ejus usu, ac ne motu quidem. Ignatio vix invocato, brachium quaquaversum movens, & capiti superimponens, certam miraculi fidem faciebat. Attonitis ad hæc omnibus, & præ gaudio collacrymantibus, placuit ære campano latitiam publicam indicare. Exciti sono, non oppidani solum, sed etiam rustici, ad ædem frequentes accurrerunt. Ecce autem alia repente mulier vociferatur, se ope Ignatii visum recepisse. Et reipsa, facto periculo, videbat ut qui optime, quæ biennium integrum oculos ita vitiatos gesserat, neminem ut de facie internosceret. Iterum ergo pulsu æris, & lætis acclamationibus Ignatii nomen celebratur. Piquerus incallescere populi studia erga Ignatium videns, ac porro gaudens, ut secum attulerat forte nescio quid ex reliquiis B. Patris, procedit ad altare, atque illud avida multitudini pio libandum osculo præbet. Pietati osculantium vix fecerat satis, cum Philippus Gomez illum admonuit, ægrotare lethaliter uxorem suam, & proxime morituram a medico existimari. Ad eam proinde, nisi forte jam decessisset, reliquias Ignatii posse deferri. Placuit consilium. Itum est e vestigio ad ipsius ædes, ac reliquiarum particulam Piquerus attulit. Jacobæ Bernarda Benedidia (id femine ægrotanti nomen) sensibus pene destituta, & ægre animam recipiebat. Morbi plures, gravesque, plerique inveterati, quorum causa mulier ab annis quatuordecim toto erat oppido celebris, ac medicorum judicio insanabilis. Præter duos prægrandes scirrhus, qui, ut putabat medicus, in hepate & liene concreverant, pituita redundante præfocabatur interdum, eamque acerrimæ febres excipiebant. Stomachi debilitas tanta, ut toto jam sexennio nihil solidi cibi fumeret, quod non continuo rejectaret. Novissime ad eum statum devenerat, ut ea die, quæ erat xv. Cal. Maji, decessura putaretur. Tamen ea prorsus die ita convaluit, ac si nunquam ægrotasset. Simul atque ad eam sacrum pignus allatum est, Piquero ex solemnibus formula opem Ignatii implorante, sudare coepit ubertim mulier: nec dum ille precem peregerat, cum velut e somno expergefæcta, attollens oculos: *Valeo*, inquit: *Eja, afferite vestes: nam certum est hac ipsa hora surgere, templum adire, ac debitas Ignatio liberatori gratias persolvere*. Erat hora noctis secunda. Surrexit nihilominus, nullisque cohiberi neque precibus, neque suasionibus potuit, ne hora eadem suis pedibus veniret in sacram ædem, quæ adhuc ob populi concurrentis frequentiam patebat. Ut conspecta est in turba domesticorum valens Bernarda, ac vegeta, dici vix potest quæ hominum admiratio fuerit, quantumque lacrymarum mulieris aspectus expresserit iis, qui, non venturam eodie, sed deportandam in templum putaverant. Miraculi fama continuo Bilbilim delata, atque inde totam viciniam celeriter pervagata, multos Monebricam excivit. Hinc loci religio in dies augeri, eademque proportione miracula multiplicari. Duobus duntaxat mensibus, Aprili & Majo, tot ad imaginem Monebricensis patrata memorantur prodigia, ut eorum narratio in libellum justæ molis excreverit. Qui quidem libellus eodem anno, de quo scribimus, in lucem est editus, tum hispanice Matrili, tum latine Lovanii. Sed ad alia properemus.

Calari in Sardinia, post vitam innocentissime actam, pie moritur vir memorie apud nos semper recolendæ, Frater Franciscus Hortulanus, jacturam prosequentibus sociis mixto lacrymis gaudio, ut ferre usivenit in eorum funere,

nerc, quos cum Apostolo *bonum certamen certasse, cursum consummasse* constat. Barchinone oriundus, Calari natus erat Hortulanus honestissimo genere, utque affirmabant ejus mater & obstetrix, prima puelli vix in lucem editi vox fuerat nomen Mariæ. Societatem amplexus anno ætatis vigesimo secundo, quamvis esset a litteris satis ad sacerdotium instructus, inter domesticos adjuutores, quam inter clericos recipi maluit. Vix inito tirocinio, culinæ fuit addictus: humile autem ministerium excellenti virtute, & magno rerum humanarum contemptu obiit. Ut alia præteream, licet esset Calari, ut in natali solo, multis civium cognitus, prodibat fere quotidie in publicum alba, & cannabina indutus veste, ut mediastini solent, gradiebaturque hoc habitu per mediam urbem, sive ut aquam, cujus copia domi non erat, ex fonte peteret, sive ut aliud quidpiam ad usum familiæ provideret. Translatus inde Sassarim, ut tunc forte collegium extruebatur, suscepit injunctam a majoribus procurationem fabricæ, neque eam tamen ut præfectus operarum, sed quasi unus ex ipsis exercuit, nullo unquam victus pudore, ne calcem lapidesque conveheret palam, & camenta structoribus ministraret. Toto sexennio Sassarim in hunc modum exacto, denuo revocatus est Calarim, ubi diu emptor cibariorum, coquus postmodum, mox strator triclinii fuit. Postremo valetudinarii curam suscepit, gessitque quoad senio fatiscentem moderatores uti vacatione muneris coegerunt. In tanto ministeriorum numero, ac rerum gerendarum varietate, per annos amplius septem supra quinquaginta, nemo unquam in Hortulano, vel iracundiæ, vel alterius perturbationis indicium vidit. Curator cum esset valetudinarii, ineptis, ut sæpe fit, importunisque agrorum petitionibus, si modo curationis ratio pateretur, quocunque suo incommodo satisfaciebat. Durioribus sæpe verbis exceptus, & hæc, agebat, & his multo graviora debentur mihi. Fuit ex externis qui cum fuste cecidit tam immaniter, ut humi prostraverit. Ipse, ut e lapsu surrexit, accidit ad percussoris genua, pro injuria gratias egit, si quid in eum peccasset imprudens, sibi ut gratiam faceret rogavit. Paupertatem, ejusque incommoda, tanquam unicas, & veras religiosorum delicias divitiisque sectabatur. Sassarim degens, sæpe ad prædium duo millia passuum extra urbem ventitabat jejunos, atque inde sole jam occiduo revertens domum, meris reficiebat se mensæ reliquiis, plerumque sordescentibus, semper incomptis. Annos ipsos viginti pro cubiculo cavum habuit perangustum, & adeo humile, ut in eo stare non posset. Nec vero melius induebatur. Quæ essent in vestitio deterrima, ea petebat sibi, ægerrime ferens, si quando veteramutare novis juberetur. Quod ad castimoniam pertinet, paucis ante obitum mensibus narrabat ipse moderatori suo, constare adhuc sibi eandem corporis integritatem, cum qua fuerat natus, idque Matri virgini referebat acceptum, quam a teneris unguiculis præcipua religione colere instituisset. Cæterum ad ejus doni custodiam addidit etiam de suo studium sedulum, ac nunquam intermissum afflicti corpus, sensusque intra exactas modestiæ leges continendi. Addidit crebra jejunia, ac piæ preces: addidit meditandi usum assiduum, quo animus a terrenæ molis contagione quodammodo abstrahebatur. Perpetuum illi cum superis, ac familiare commercium. Magna vicissim, nec usitata superiorum benignitas erga illum. Sæpe Christi Domini, sæpe divinæ Matris aspectu, & alloquio dignabatur. Semel incensus Eucharistici panis desiderio, cum deesset Sacerdos, illum cœlesti manu percepisse dicitur. Malorum dæmonum horrenda specie insultantium haud raro molestias dispulit, minas irrisit. Multis arcana cordium retexit, pluribus futura ex vero prædixit. Beatum parentem Ignatium in album sanctorum relatam iri, certo didicerat ab ipsomet, affirmabatque passim, eventurum id Societati gaudium vivo se: quo autem die decreta Romæ fuit ipsius consecratio, eodem certiores fecit Patres Calaritanos. Sed in hoc genere nihil tota Sardinia illustrius, quam quod factum per Hortulanum indicio resecta sunt plura sanctorum Martyrum corpora, quæ tametsi constaret olim in diversis regni partibus fuisse condita, ubi tamen late-

rent

97.
Dona quædam
supernaturalia
ipsi concessa.

rent nulli compertum erat. Non est hujus operis omnium indicem texere. Ne tamen omnia præteream, B. martyr Antiochus Sulscitanus, unus ex primis Sardonum patronis, erutus est post multa sæcula ex loco, quem Hortulanus monstravit, Martyr Restituta, mater Eusebii episcopi Vercellenfis, & alia item, martyr, sed virgo simul Olympias, Hortulano per visum oblata imperaverunt, ut educendas in lucem curaret suas exuvias. Locum ille indicavit, educæque sunt, summa totius regni letitia. Sed memorabile in primis quod accidit circa corpus B. martyris Ephifii. Casu reiectum fuerat subter aram templi subterraneam sine ullo titulo ac nota humanum corpus. Cum ambigeretur ejus illa essent ossa, affirmavit aperte Hortulanus, Ephifii esse. Unius viri testimonium in re tali quibusdam videbatur recipi non debere. Sed dicto fides constitit post dies paucos. Affuit enim de plebe quidam, ac tabellam marmoream afferens Ephifii inscriptam nomine, clam surreptam a se dixit ex ejus tumulto dum effodiebatur. Addidit, ejus furti, ut interpretabatur, causa, nocte proxima magnis se fuisse doloribus cruciatum. Mitto alia ejusdem generis, ne prolixior fiam. Caterum tanta cum superis consuetudo multo frequentior Hortulano fuit in ultima senectute, cum ob ætatem, & incommoda valetudinis uni sibi vacare jussus est. Fertur, extremo illo vitæ spatio audisse voces identidem beatorum spirituum divinas laudes concinentium, & interdum cum ipsis pariter cecinisse. Ita demum ingressus ætatis annum octogesimum, xlii. Cal. Januarii ad æternam eorum societatem migravit, quorum in hac mortali vita consortium prægustaverat. Calaritani vero, qui semper viventem venerati fuerant, etiam mortuum, ut hominem vere sanctum, honore quam licuit maximo colere perrexerunt.

98.
RES
LUSITANIÆ.
Mors & elo-
gium P. Joannis
Alvarez.

99.
Obitus & elo-
gium P. Simo-
nis Soufa.

Præclaram quoque sui famam reliquit in Lusitania P. Joannes Alvarez, vir, cum cæteris virtutibus, tum præsertim religiosa prudentia inclytus, & inter paucissimos memorandus. Provinciam bis rexerat Præpositus, semel Vilitator, pari semper approbatione omnium & laude. Romæ cum esset pro Lusitaniæ provinciis Assistens, apud Clementem VIII., & plures Romanæ curiæ procures, non minus auctoritate quam gratia floruit. Ejus maxime testimonio Clemens innocentiam agnovit Claudii Generalis, delatasque adversus illum criminationes contempsit. Videbatur ad regendi munus quasi natus factusque: adeo quæcunque in religioso præside requiruntur dotes, in eo eminebant. Tamen, qua erat modestia, nihil horrebat æque ac præfecturas, nihilque egit tam sæpe, tantoque opere apud generalem Præpositum, quam ne qua sibi pars administrationis publicæ committeretur. Romam denuo profectus ad comitia generalia, quibus Mutius creatus fuit Præpositus Societatis, id unum ab eo flagitasse dicitur, sibi ut liceret reliquum vitæ spatium exigere in collegio totius provinciæ remotissimo, aut saltem ut comes adjungeretur alicui sacerdoti ex iis, qui in sacras expeditiones mitterentur. Obiit Eboræ vi. Idus Martii, annos natus prope octoginta, quorum amplius sexaginta transfegerat in Societate. Pari ferme luctu elatus est pridie Nonas Februarias in domo professorum Ulyssiponensi P. Simon Soufa. Is nobili ortus genere in oppido Loufamenfi haud procul Conimbria, ad Societatem venerat adolescens. Tironem nescio qua causa Societas cum dimisisset, iterum post viginti annos in sinum recepit, habuitque deinceps inter alumnorum carissimos. Cum esset prudentia non vulgari præditus, Matritum prius, deinde Romam est missus, ut provinciæ negotia procuraret. Hinc reversus in Lusitaniam, multus fuit in evangelicis peregrinationibus, quas plerumque pedes, semper cum insigni animarum emolumento obibat. Paulo ante quam finem vivendi faceret, susceperat Ulyssipone curam vineætorum, gerebatque illam alacritate tanta, nullam ut videretur potiore habere voluptatem, quam in illa hominum colluvie versari. Quoties ad eorum quempiam deferendum esset sacrum Christi corpus, suis ipse manibus carcerem everrebat, & probe mundabat. Monitus ab amico, insalubrem esse cœli gravitate locum, & sæpe agrotantium tabe periculoso-

sum, id vero, respondit, præclare sibi cessurum, si e carcere ad sepulchrum, & inde ad superos evolaret. Pie creditur votorum suorum fructum retulisse: periit enim contracto morbo ex contagione cujusdam vincti, cui peccata contententi diutius assederat.

His, ut sperare fas est, ad laborum præmia evocatis, sodales cæteri haud segniter injunctas sibi partes exequabantur. Addebat laborantibus animos laborum utilitas, cujus non unum hoc anno documentum habuerunt. Sex Mahometis cultores Ulyssipone damnati fuerant capite, erantque quam mox ad patibulum rapiendi. Eorum quinque hortatu nostri sacerdotis Christo dederunt nomen, ejusque sacramentum paulo ante supplicium acceperunt. Eodem anno Maurorum aliquot transfugæ ex Africanis Lusitanorum coloniis missi Ulyssiponem, ita se nostris hominibus instituendos permiserunt, ut intra paucos dies baptismo donati fuerint universi. Ii porro quam vere, & ex animo Christiani fuerint facti, paulo post luculenter docuerunt. Oblata enim occasio est, in qua suam Christo fidem, atque constantiam probarent. Capti sunt intra eundem annum ipsorum duo a prædonibus suæ nationis. Cum autem ad ejurandum Christi sacramentum adigerentur metu mortis, emori maluerunt, & cervicibus fortiter datis fidem sanguine confirmarunt. In eadem urbe regia ingens inveniebatur vinctorum numerus, quorum magna pars cunctatione judicum prius oppressi miseris interibant, quam causam dicerent. Miseratus eorum vicem unus nostrorum, rem ad supremos regni rectores detulit, ab iisque decretum abstulit, ut judicia in posterum exercerentur frequentius, & causæ celerius finirentur. Bracharæ res contigit, ob exempli utilitatem non tacenda. Degebat in suburbana villa rusticus nequam, quem malus pudor diu retraxerat, ne sacerdoti aperiret flagitium nescio quod turpe, cujus conscientia premebatur. Actus demum internis gratiæ stimulis in urbem veniebat, certus pudorem excutere, & quidquid illud erat criminis rite confiteri. Venienti comitem se adjunxit homo aspectu tetrico, habitu sacerdos: aliumque, uti fit, ex alio sermonem miscens, eo paulatim delapsus est, ut de multiplici criminum varietate, & eorum remedio diceret. Illius nominatim mentionem fecit, cujus conscientiam habebat rusticus: atque hoc quidem, addidit, qui semel admisit, ei nunquam a Deo parcitur, vel si millies confiteatur. Cohorruit ad eam vocem homo rudis. Nihil dubitans virum hunc esse multarum litterarum, & vera loqui, abjecto peragenda confessionis consilio, pedem continuo retulit, ut in nulla spe salutis consequenda. Peribat omnino infelix, nisi sua illi profuisset qualiscunque pietas erga beatam Virginem. At nocte proxima ei se videndam obtulit per quietem divina Mater, quam solebat quotidiano obsequio demereri, hominemque leniter castigatum, quod mendacissimo dæmoni fidem temere adhibuisset, redire Bracharam jussit, ac se totum alicui ex nostris patefacere. Id ille, ut illuxit, obedienter executus, in alium prope virum mutatus est.

Ad Provinciam Lusitaniam pertinebat hoc tempore Loanda, insula brevi maris intervallo disjuncta a continenti regni Congensis. Habebat ibi Societas vetus collegium, eo præsertim consilio conditum, ut inde Patres subinde excurrerent, tum ad vicinos Angolanos, tum præsertim in Congum, & hujus regni christianos per utilitata ordinis ministeria excolerent. Sed cum longo usu constaret, parum aut ferme nihil per istiusmodi temporarias paucorum dierum excursions conferri posse Congensibus, jamdiu optabant nostri, ut liceret sibi apud eos stabili ac perpetuo in domicilio versari. Commodum accidit, ut sociorum commune votum impleret vir insigniter pius, Gaspar Alvarez. Cum enim statuisset se ipsum tradere Societati, bonorum etiam suorum certam summam ad fundandum in regia Congensium urbe collegium tradidit. Admissa Alvarezii donatione, transmiserat in Congum P. Hieronymus Vogadus rector collegii Loandensis, & novam moliri cœperat domum in urbe S. Salvatoris, regni primaria: cum bene cœpta subitus belli turbo disjecit, ac Vogadum

100.
Utiles nostrorum curæ & labores Ulyssipone.

101.
Exemplum hominis ab interitu liberati ope B. Virginis.

102.
Inchoatur collegium Societatis in urbe primaria Congi.

103.
Intermittitur
ob subitum bel-
li motum.

104.
Injurie colle-
gio Loandensi
illata a præfe-
cto Lusitano-
rum.

105.
Collegium
Congense tan-
dem constitui-
tur.

dum repetere Loandam compulsi opere abrupto. Joannes Correa præfectus Lusitanorum in insula Loandensi, nulla quamvis injuria læcessitus, sola ductus aviditate prædandi, subito Congi fines invasit, percurrentesque regionem populabundus, multos Congensium abripuit, & Loandam venales transtulit. Facti indignitatem damnarunt maximopere omnes, indigenæ pariter & coloni, boni, malique. Multi Corream ob tale facinus palam corripuerunt. Ei minores præfecti ac magistratus Regis nomine denunciarunt, ne pergeret immerentibus & innoxiiis injuriam facere. At rex Congensium Petrus Alphonsus, etsi Lusitanorum semper antea amicus, graviter ferens illatum sibi contra jus fœderis bellum, arma cepit, injuriam clade Lusitanorum ulturus. Prodierrat jam in apertum cum millibus armatorum fere trecentis, nec erat dubium quin Corream, & quantum esset Lusitanorum opprimeret, non belli virtute, sed numero. Tamen ne ulterius prorumperet, exoratus est unis P. Vogadi litteris. Rogabat iis regem litteris Vogadus, ne unius hominis perfidiam gentis communem duceret, neve cum tanto christianæ religionis damno ulcisci eam vellet. Meminisset quot benevolentia pignora haberet, cum a rege Lusitania, tum etiam a Romano Pontifice. Auctorem injuriæ Corream dignas regi suo pœnas daturum. His litteris periculum quod imminerebat discussum est. Cessit enim monenti rex: exercitum deduxit, ac vicissim a Vogado petiit, ut duos ad se mitteret Patres, qui intermissum collegii opus abfolverent. Mittebantur Patres, cum præfectus Correa novum scelus incepit, atque iterum omnia turbavit. Urebat improbum, quod vim Congensibus illatam boni quique damnassent, Multos ea causa bonis spoliaverat, multos in vincula conjecerat. Illud tamen ferebat iniquissime, Congensium quos ceperat emptores nullos inveniri, propterea quod nostri privatim ac publice docerent, eos emi in servitutem non licere, quippe Christi cultores, & bello injusto captos. Fremens frendensque contra nostros, quorum opera videbat optatum sibi questum perire, collegium Laondense militari custodia sepsit, detractosque vi rectorem Vogadam, & alios duos Patres, Matthæum Cardosum, & Antonium Amaralium, imposuit navi, & in Lusitaniam deportari jussit. His non contentus homo perditus, certior factus ad nostros esse transgressum quem supra dixi Gasparem Alvarezium, & inde celeri fuga se subduxisse, ipsius, aliorumque qui aufugerant Lusitanorum imagines produxit, velut hostium publicorum, & speciem in iis exhibuit supplicii, quod si data facultas esset, in eorum corporibus exequeretur. Postremo conscientia stimulis agitatus, jamque præcipiens animo quid sibi metuendum esset a rege, in novam Hispaniam profugit, relicta sine imperio provincia. At scelestum non clauda pede secuta est pœna. Vinculis oneratum Præfecti regii deportandum curarunt in Hispaniam, unde missus Ulyssiponem, in squalore carceris vitam clausit. Hoc medio tempore P. Cardosus, quem Loanda ejectum dicebamus, cum attingisset Ulyssiponem, typis edidit christianæ institutionis summam, quam nuper Congensium lingua conscripserat: rem ad eorum populorum doctrinam unice necessariam, quæ tamen hætenus pastorum vel incuria, vel imperitia, per annos centum quadraginta circiter neglecta fuerat. Interea qui Vogadi vices gerebat P. Eduardus Vaz, Petri Alphonsi regis litteris arcessitus, ad urbem Sancti Salvatoris, ubi regia Congensium est, venerat, ut futuri collegii ades extrueret. Locum & materiam aedificii ultro conferebat ipse rex, unam modo conditionem petens, ut collegii fundator appellaretur. Obstare videbatur donatio, quam ab Alvarezio factam docuimus. Tamen facile impetratum est ab homine modestissimo, ut salvo jure suffragiorum, quæ Societas fundatoribus solet persolvere, collegii fundati nomen & titulos Regi concederet. At ecce tibi in ipsa operis molitione novus repente obex. Moritur adhuc novitius, quem sæpe nominavi, Gaspar Alvarez. Dum resignatur testamentum, quo partem hæreditatis transcribi collegio Congensi jussit, ipsius quidem exaratum manu invenitur, non tamen a scriba publico obfignatum. Fuere
sta-

statim qui contenderent, ratas non esse tabulas. Eo multi nomine possessionem bonorum invaserunt. Interpellatus a nostris Episcopus (erat is Simon Mascarenia) ut vindicias daret, negabat se quidquam in eo negotio pronuntiaturum. Quod ergo in similibus usitatum erat, P. Eduardus Vaz iudicem ex Carmelitarum familia sumpsit, qui suam Societati jus defenderet. Hunc Antistes ab officio minaciter deterrebat. Quas ob causas nostri coacti sunt cum adversariis pacisci, & partem hereditatis maximam dimittere, ne totam perderent. Præter hæc, litem movit Antistes de loco ad collegium adificandum electo, quem aiebat superiorum regum dono possideri ab Ecclesia. Quare Rex, etsi gravate admodum ferret, opus se auctore ceptum denuo intermitteri, tamen nostrorum oratione placatus, aream designavit in alia urbis parte, ubi qualecunque denique domicilium ex tignis & paleis more gentis extructum est.

Dum hæc ibi gerebantur, in provincia Goana nonnullam nostris hominibus molestiam creaverunt ministri Regis, ob causas nunc evolvendas. Obtinentibus cum prævalida classe oceanum Anglis Batavisque, timebant rebus suis Lusitani, metuebantque ne post captam, ut libro superiore dictum est, Armuntiam, ipsam quoque tentarent Goam, caput atque arcem imperii Indici. Ad bellicum apparatus cum deessent tormenta muralia, nec periti invenirentur artifices, qui ea constarent adornarentque, itum est ad nostros, quippe homines, ut existimabant, industrios, & hujus scientiæ non expertes. Res videbatur religiosis hominibus minus congruens, proindeque curam illam Patres enixe deprecabantur. Tamen cum respondisset Senatus, nihil omnium, quæ ad salutem reipublicæ pertinerent, alienum esse ab instituto Societatis, gesserunt vel inviti morem, & suam regiis ministris industriam valde probaverunt. At ecce tibi haud multo post ad alia ejusdem generis advocantur. Hic vero obsistere constanter Patres, excusare professionem suam, diserte negare se ullam suscepturos ministerii publici partem, præter divinarum rerum procuracionem. Repulsam ægre tulit Senatus, & succensuit Patribus, perinde quasi regis obsequium, & communem utilitatem parvipenderent. Sed non propterea moti sunt de sententia Patres, nec eam invidiam tanti fecerunt, ut non potiores ducerent sui ordinis dignitatem. Tantum, ne desidia verti posset illius operæ tam constans & firma declinatio, eodem tempore nullum suæ professionis laborem prætermiserunt. Sed neque in his obeundis omni profusus molestia caruerunt. Exstat in India vetus lex Joannis III. Lusitaniæ regis, ut ethnicorum liberi, si parentibus orbatii fuerint adhuc impuberes, educantur sub disciplina Societatis in instituta ad hunc usum domo. Christianorum pater vulgo dicitur sacerdos ille Societatis, qui domui præest. Jam vero accidit hoc anno, ut qui Catechumenorum procuracionem exercebat Goæ, una die quatuordecim colligeret ejus conditionis pueros. Cum esset ex eo numero unus quidam opulentior, & amplum obtinens patrimonium, frater ipsius natu major, qui tutelæ nomine fraternam liguriret rem, pupillum vehementer reposebat. Multa molitus frustra ut eum ad se retraheret, postremo Patrem christianorum detulit ad Proregem, quasi puerum abduxisset per vim, parente adhuc vivo: cui fabulæ ut veri speciem imponeret, hominem doli conscium pecunia subornavit, qui se communem utriusque patrem diceret. Rem omnino ad votum confecerat, nisi ingenuus adolescens, contestatus coram iudice orbitatem suam, calumniam liberrima voce diluisset. Per hanc occasionem prorex Comes de Vidigueira vocatos ad se quatuordecim, quos dixi, pueros interrogavit per otium, cum de aliis rebus, tum præsertim de cura, quæ domi haberentur a Patribus in quotidiana vivendi ratione. Nemo omnium fuit, qui non eorum benignitatem charitatemque laudaret. Quod illius ætatis testimonium Prorex minime suspectum existimans, pueros tunc quidem omni blanditiarum genere complexus est, munuscula singulis, & familiæ suæ nomen impertiens: at idem paulo post de Catechumenorum institutione apud aulicos

To. I.

LII

ver-

106.
RES GOANÆ.
Nostris ad curas bellicas evocantur.

107.
Molestia nostris illata Goæ ob Catechumenorum domum.

verba faciens, diserte affirmare non dubitavit, vix aliam esse inter Indos rem, in qua Regis pecunia collocaretur utilius, quam in alenda illa tot capitum familia.

108.
RES
MALABARICÆ.
Turbantur res
in ora Piscariæ
ob scelus Hen-
rici cujusdam.

109.
Qui ex fautore
fit inimicus So-
cietatis.

110.
Ac demum in-
terficitur manu
ficarii.

111.
Ac demum in-
terficitur manu
ficarii.

Inter hæc socii provinciæ Malabaricæ parum abfuit, quin extra oram Piscariæ, in quam nuper fuerant a Rege restituti, iterum alieno scelere pellerentur. Henricus a Cruce, vir ille quidem inter Paravas divitiis facile princeps, sed nobilitate generis multis inferior, cum Societatem nostram eximie diligeret, diligebatur vicissim a P. Andrea Pereira collegii Tutucurinenfis rector, ejusque nuper litteris & officiis impetraverat a Prorege Indiarum, ut septem pagorum Patagantinus, qui summus est ibi magistratus, fieret. Odiosum id acciderat genti, Parava enim divitiis nobilitatem longe præferunt, nec facile patiuntur, quem anteeant claritate natalium, eum sibi dignitate anteponi. Statim ergo exaudita multorum querimonia, præreptum sibi honorem ab homine immerenti dolentium. Præ cæteris obloquebatur apertius Petrus quidam, a Cruce similiter appellatus, & novi Patagantini creationem palam traducebat. Pupugit ea res Henricum, hominem natura ferocem, ac superbum. Utque molestissima divitiis est censura natalium, nec fere ullius æcerbior reprehensio vitii, quam quod emendari non potest, ira prope amantiam percitus, injuriam ulcisci statuit cade obrectatoris. Hac mente irrumperens die quadam in ejus domum cum armatorum manipulo, imparatum occupat, nec ipsum modo Petrum, sed & ipsius matrem, nonnullosque præterea propinquorum immaniter contrucidat. Quodque omnem superat crudelitatis modum, sacerdotem Societatis, qui ad nuncium infandæ cladis advolaverat, aditu prohibet, ne expiare morientes posset. Demum ades diripit, & incendit. Vulgato per septem pagos facinore, plerique nomen Henrici execrantes, magnam quoque invidiæ partem derivabant in nostros, quorum suffragatione, honorem non debitum esset consecutus. Invidiam ut amoliretur Pereira, selestum homicidam insectari palam cœpit, nullum non movens lapidem, ut ei magistratus abrogaretur. Et id quidem optimo proposito, sed consilio parum prudenti, quippe aliud nihil consecuturus, quam ut hominem viribus præponentem sibi ac Societati redderet ex fautore inimicum. Re ipsa Henricus, probe intelligens nullum sibi fore posthac in Societate præsidium, totum se transtulit ad Vicarium Episcopi, hominem nobis iniquiorem, qui in omnem imminebat occasionem ejiciendi iterum extra Piscariam nostros, & curias recuperandi. Hinc ambo conjunctis studiis litteras Coccinum, & Goam mittunt criminationum plenas, quarum una erat ad extremum sententia, reddendas clericis popularibus ecclesiis Piscariensibus, Patres Societatis omnino amovendos. Hæc neminem movebant. Nihil tamen minus Indiarum visitator P. Palmerius, ut exorientem discordiæ flammam extingueret, abduxit Tutucurino P. Pereira, eique successorem misit P. Gasparem Fernandium, virum mitissimæ indolis, qui omnium aptissimus videretur placando Patagantino summe efferato, nihilque jam præter Societatis perniciem anhelanti. Sed quis furori frænum iniiciat, cum vires ad quidlibet audendum suppetunt? Novi rectoris officia adeo nihil mitigarunt Henricum, ut imo atrocius irritaverint. Deliberatum habens omnia conari ut nostri, aut pellerentur, aut sponte abirent Tutucurino, nullas non inferebat Patribus contumelias. Toto quotidie oppido cum globo armatorum volitabat, quoscunque nobis studere senserat, rapinis, incendiis, cædibus atterebat. At demum tam multis ejus sceleribus, quod sæpe accidit, finem imposuit alterius scelus. Erant Henrico veteres inimicitie cum Antonio Ferreira Lusitano, qui nuper Nagapatanensis arcis præfectura perfunctus, tempus navigandi Goam opperiebatur forte Tutucurini. Is occasionem sibi datam arbitratus sumendi de inimico pœnas, captato tempore, sicarium submittit, ejusque manu Henricum interficit. Sublatus in hunc modum est malorum auctor, non tamen sublata mala, sed exulcerata potius. Henriciani, perperam suspicantes factam nostri rectoris mandato cadem, ad hanc

hanc ulciscendam evocant ethnicorum præfectum, qui loca proxima cum præfidiario milite obtinebat pro rege, sive, ut ipsi loquuntur, Naikeno Madurenfi. Adest confestim ethnicus cum magna militum manu. Captos e nostris quatuor navicula imponit, & tota septem pagorum ora jubet excedere. Tempori accurrit Vicarius, pulsisque Patribus, vacuæ curiæ possessionem capit. Collegium a latronibus diripitur. At Deo cordi non erat, Piscariensem oram, primam illam magni Xaverii curam, aliis committi quam iis, quos laborum suorum hæredes Xaverius ipse reliquerat. Ejecti Tutucurino Patres venerant Punicalem, porro, ut jussi fuerant, progressuri. Dum ibi subsistunt paululum, Emmanuel quidam Fernandez, Societatis ad illam usque diem vehemens adversarius, mutata subito voluntate, eos amice convenit, & sperare jubet meliora. Se fautorem illis, vindicem, ac prope parentem in rebus afflictis fore. Vifa miraculo proxima viri tam subita, nec expectata mutatio. Nec vero verbis quam factis magnificentior fuit. Cum advenissent haud multo post Punicalem missi Tutucurino milites cum mandatis, ut inde Patres abire cogerent, eos auctoritate continuit Ferdinandus ne facerent imperata, & reverti jussit re infecta. Hac autem interposita mora, paulatim res ad statum pristinum redierunt. Debuimus ex parte beneficium regi Madurenfi. Namque is, auditis quæ Tutucurini gesta fuerant a suo præfecto, non solum ea valde improbavit, verum etiam ipsum dignitate spoliatum in ordinem redegit. Quo præsidio destituta factio Henricianorum labare cœpit usque adeo, ut brevi tempore qui a nobis stabant iniquam adversæ partis vim coereuerint penitus, & obtriverint. Sic demum isti nostros in antiquam sedem revocaverunt, consensu omnium summo, præter quam clericorum.

Interim in regno Madurenfi P. Robertus de Nobilibus divinum semen late spargebat, relictoque in urbe regia Maduræ P. Antonio Vico, venerat Chilanum, primariam urbem cujusdam reguli tributarii, qui non spernendam in illo tractu ditionem obtinebat. Ibi stationem figere volenti, tam multa occurrerant adversa, ut nisi fuisset animo prorsus invicto, deterrendus omnino esset, & difficultatibus obruendus. Primus obæx indoles ipsa gentis minime hospitalis. Nullius patebat Europæo doctori domus. Rerum omnium egentis nemo neque opem ullam, neque tectum præbebat. Quæ causa fuit, ut totos quadraginta dies coactus fuerit pernoctare sub dio, & summæ hiemis inclementiam ferre. Inde morbum contraxit gravem & periculosum, sine ulla curandi corporis facultate. Accessit agritudo mentis fortasse gravior ex ingenio reguli duro aspectuque. Primo congressu, cum explicaret Nobilius causam adventus sui, respondit admodum illiberaliter Regulus, nolle se de externis religionibus quæstiones audire. Præter hæc, insectabantur illum atrociter idolorum sacrificuli, natio hominum veræ religioni ubique ac semper infecta, multa eminentes, ut ab eo Principis voluntatem averterent. His tamen vir fortis non absteritus, tandiu institit obniti contra, donec spes meliorum affulsit. Illum nescio quis oppidanorum hospitio demum susceperat. Manante in publicum fama doctrinæ, quam doctor Europæus ex ultimo occidente attulerat, frequentari paulatim a Brachmanibus, coli, audiri dies sæpe totos ac noctes de rebus fidei differens. Ac principio quidem omnibus admiratio: tum multis novæ religionis desiderium injectum. Miraculis confecta res. Militem quemdam malus dæmon dire torquebat. Huic Nobilius laminam applicat paucis sacrorum bibliorum verbis inscriptam: nec frustra. Compressa continuo est vis inferni spiritus. Miles Christo liberatori nomen dedit. Alter professione aulicus jacebat jam fere biennium toto inflatus corpore, amissoque usu membrorum salutem penitus desperabat. Auditis quæ de religioso advenâ narrabantur, rogandum curavit per amicum, ut si quam posset opem sibi misero afferret. Attulit Nobilius laminam cum exaratis divinæ scripturæ verbis: at simul agro denunciavit, ut cuncta maleficorum amuleta, & instrumenta reliqua vanæ superstitionis projiceret. Projecit, ac momento eodem habere melius cœpit. Morbo dehinc

To. I.

Lll 2

fen-

111.
Pelluntur nostri Tutucurino.

112.
Restituuntur in suam sedem providentia admirabili.

113.
P. Nobilius laudat Chilanum in regno Madurenfi.

114.
Miracula quædam, ac primi fructus inter Chilanenses.

senfim remittente, omnino convaluit: quique per annos ipsos duos nec vestigium humi ponere potuerat, intra dies quindecim ad Nobilium venit incolomis, & se Christo devovit. Facile pervasit in aulam curationis tam insperata rumor. Motus miraculo Regulus, commendatum Nobilio voluit fratrem suum graviter ægotantem, qui similiter adhibitis quas dixi laminis, statim valetudinem recepit. Jam ergo, non apud vulgus tantum, sed etiam in aula magnum esse Nobilii nomen, & ab ipso regulo in pretio haberi. Multo tamen majorem de illo cepit opinionem Princeps, cum adesse iustum audivit Brachmanum deliria resellentem, & de vera mortalium felicitate disputantem. Miratus hominis eloquentiam, doctrinam prolixè laudavit, seductumque in conclave intimum plures continenter horas detinuit sermone vario, ac familiari, cujus is fuit exitus, ut præter alias benevolentiae significationes, domum illi dederit habitandam. Secundum hæc, singulis ferme diebus Nobilium arcessere, ac plures cum eo horas amice colloquendo transigere. Delectabatur scilicet ejus doctrina Princeps sciendi avidus: integritatem, ac vitæ mores innocentissimos, quantumvis ethnicus, dilaudabat, ac mirabatur. Tantam vero ab omni humana cupiditate abstinentiam mirari satis non poterat, ac veluti cœlestem hominem intuebatur, qui sic esset alienus a voluptate & commodo, ut pauperime licet victitans, nihil tamen ad vitæ usum peteret, imo nihil admitteret eorum, quæ ipse identidem liberaliter offerebat. Nondum ille quidem inducibat animum, ut sanctitatem christianæ legis amplecteretur, suis vitiis ac libidinibus deterritus. Tamen Principis erga Nobilium benevolentia tanta, tamque perspecta, religioni plurimum profuit. Aucta enim apud vulgus existimatione novi doctoris, illum homines audiebant avidius, nec pauci inter fidei candidatos nomen dabant. At contra idolorum sacerdotes, avitam superstitionem in quæstu habentes, Nobilio nihil pejus oderant, multaque conabantur, ut infestum sibi caput expellerent. Ubi cæteræ nihil valebant artes, accusationem instituerunt, qua nulla apud eam gentem invidiosior. Visum hunc, aiebant, ante annos plures Maduræ nigra indutum tunica, cum promiscue versaretur inter Pranguos & Parias, infimæ fortis homines, & communi cum illis victu cultuque uteretur. Exitiale id erat Nobilio, si verum esse constaret. Sed accusationem ut falsam contempsit benevolus Princeps, accusatores autem ita repulit, ut amplius mutire ausi non sint.

115.
Regulus Nobilio, ac religioni favet.

116.
Accusatur a sacrificulis, sed accusatio contemnitur.

117.
Chandemangalem divertit cum magna rerum gerendarum spe.

118.
Spe fraudatur, & multis laborat incommodis.

Verum inter hæc evocatur Nobilius ab Archiepiscopo Cranganorensi, & res Chilani prospere coeptas intermittere paulisper cogitur. Cum satisfecisset Antistiti, Chilani denuo cogitabat: sed oblata lautioris occasio prædæ venatorem animarum studiosissimum alio traduxit. Inter plures, quos de rebus fidei erudierat Chilani, fuerat frater natu major reguli Chandemangalensis, nomine Tiruvangala. Erant huic adolescentes filii quatuor, ad quos, patruo liberos non habente, hæreditas regni devolvebatur. At fratri invisus abesse patria cogebatur, & nuper ad Chilansensem accolam se receperat, ne fraternis pateret insectationibus, & insidiis. Erudierat illum, uti dixi, Nobilius, sed moras neccentem ab avita superstitione nondum abstraxerat. Ecce autem ab eo per litteras admonetur, se fratri reconciliatum remigrasse Chandemangalem, & velle propediem cum tota familia christianis sacris initiari. Simul ut adesse velit, rogatur. Erectus felici nuncio Nobilius statim contendit Chandemangalem. At eo delatus, lusum se a barbaro, ac spe sua fraudatum doluit. Mutaverat voluntatem Tiruvangala, nihilque jam volebat minus quam Christi cultum suscipere. Quippe homo vecors spem hæctus fraternæ ditionis brevi acquirendæ, metuebat ne cives avitæ religionis desertorem aspernarentur. Tamen ad leniendum Nobilii mœrorem, & ne fidem sefellisse turpiter videretur, suos illi permisit liberos instituendos, qui si Christiani esse vellent, nihil in se futurum moræ spondebat. Nobilius, tamen patris levitatem doleret graviter, solatium non leve cepit ex institutione filiorum, qui cum docilis ingenii adolescentes essent, aliquanto post baptismo initiati fuerunt.

Vitam agitabat interea nimium quantum miseram, & arumnosam. Tecto carens commodiore, habitabat in quodam ædificii publici propylæo, ventis imbribusque pervio, & quod multo deterius, prorepentibus passim anguibus infesto. Victus olera & legumina, Saniaffiorum more. Paupertas extrema, nullum nisi in piis precibus oblectamentum. Explevit denique pium famuli sui desiderium propitiis Deus, ac prope spem superavit. Erat Chandemangale Brachmanes, cui morbi vis vehemens mentem abstulerat. Medicis omnia nequidquam ad eum persanandum expertis, domestici, ut in re desperata, Christianorum sacerdotem adeunt, & obtestantur, ut ægro, si qua possit, subveniatur. Facturum se promittit Sacerdos: addidit tamen, humana ne tantum conjectura, an diviniore instinctu? quam ille receperat corpore valetudinem, nihil ipsi, plurimum aliis ad salutem animæ profuturam. Dicto respondit eventus. Brachmanes, epoto aquæ lustralis vasculo, confestim convaleuit, nec proinde superstitionem abiecit. At ex iis qui curationi interfuerant, plurimi christianam religionem amplexi sunt, ac præter alios, quod erat maxime optandum, reguli frater Tiruvangala. Percussus enim miraculi magnitudine vir antea non alienus a fide, in Christum credidit, neque solum eiecit quæ habebat domi dæmonum simulacra, sed præterea, cum esset adhuc a baptismo recens, voto se obstrinxit, si quando rerum potiretur, conaturum pro sua virili parte, ut quos imperio regeret, etiam Christo subiceret. Eo nequaquam contentus sacro fervens ardore neophytus, uxorem, matrem, aliosque domesticorum, capita omnino duodecim, ad Christum traxit. Sæpe post hæc profitebatur, domum se suam vix agnoscere. Nam quæ antea assiduis fere jurgiis, & contentionibus astuabat, post susceptum baptismum, ob mutuam animorum conjunctionem videri poterat beatorum patriæ quam simillima. Collecto in hunc modum pusillo Christianorum grege, adjecit animum Nobiliss ad excitandam Chandemangale ædem sacram, in quam neophyti coeuntes officia religionis obirent. Jam locum invenerat, jam opus moliebatur. Cum serpere oppido cœpit infestus rumor, sacerdotem Europæum merum esse maleficiorum artificem, ob eamque infamiam regni finibus cum ignominia pellendum. Id Regulo deliberatum ac fixum esse. In tanto periculo ac metu Nobiliss auctor erat Tiruvangala, ut fuga celeri injuriam præverteret. At vir apostolici roboris, solitus terrores hominum jacta in Deum fiducia contemnere, perrexit nihil minus opus urgere, donec, aliam Deo mentem inspirante Principi, ad culmeneducta est ædes sacra, & in ea vexillum crucis erectum, quod tunc primum Chandemangalenses publice adoraverunt.

Nihilo segnus interim P. Antonius Vicus, & huic nuper additus P. Emanuel Martinus, evangelicum opus faciebant in urbe principe regni Madurensis. Et quanquam baptismum tingerent haud ita multos, neophytorum tamen paucitatem pensabat magnitudo virtutis, & ardor quidam religionis, quo major optari vix poterat. Brachmanes fuit annorum septuaginta quinque, cuius ipsa conversio admirationem ingentem habuit. Auditis christianæ legis institutionibus, fatebatur nihil excogitari posse verius, nihil sanctius. Veruntamen rubore nescio quo, & metu humano prohibebatur, ne baptismum susciperet. Me ne, ajebat, in patriis religionibus ad hanc usque ætatem cum laude versatum, nunc inter tribules meos vivere abhorrentem ab eorum sacris & moribus? Ita loquentem interpellavit Vicus, ac longum sermonem exorsus, disseruit de tot illis omnis ætatis & sexus heroibus, qui primis Ecclesiæ sæculis equuleos, & rotas, & rogos, & omnia atrocioris tormenti genera pro Christi fide fortiter subierunt. Atque orationem extremam convertens ad senem: Te ne, inquit, non posse pro eadem causâ vanos sermunculos obloquentium pati? Hæsit admirandus Brachmanes, nulloque reddito certo responso, discessit. Rediit postredie, & objectam sibi in somnis narravit viri speciem humana augustiorem. Ejus viri, quisquis ille esset, voce se monitum ajebat, ut siquidem vellet æternæ vitæ compos fieri, peregrino sacerdoti morem

119.
Miraculo interveniente, fructum ingentem colligit.

120.
Ædem sacram excitat Chandemangale.

121.
Cujusdam Brachmanis mira conversio.

122.
Neophyti cu-
jusdam vita ad
exemplum me-
morabilis.

123.
Ejus filius pa-
ternam pieta-
tem æmulatur.

124.
RES SINENSES.
Eventus male
auspicatus Pe-
kini.

rem gereret. Quocirca, adjecit, jam nunc in tuam disciplinam me confero, certus quidquid præscripseris obedienter facere. Amplexus est hominem Vicus, docuit, baptismo impertiit. Ille autem vigesima secunda post baptismum die, plenus optimæ spei ex hac vita migravit. Obiit sub idem tempus sanctioris vitæ Neophytus, cujus non aliquam hoc loco mentionem facere nefas duxerim. Gnano nomen erat viro, quæ vox latine justum sonat. Christi fidem amplexus ante annos decem, toto hoc præterito tempore ita vixerat, ut esset omnibus admirationi & exemplo. Dies noctesque, si paucas excipias horas quas dare curando corpori cogebatur, divino cultui impendebat, idque vel solus in suo conclavi, vel publice in ecclesia. Conscientiæ rationes recognoscebat bis in diem, semel ante prandium, iterum priusquam cubitum iret. Jam vero inter fundendas preces, vix credibile qua cœlestium deliciarum copia afflueret. Hærebat divinis rebus adeo defixus, ut nihil omnium quæ circa se fierent cerneret, aut omnino sentiret. Noxas vel levissimas studiose cavebat. De rebus corpori necessariis tantum sibi sumendumque statuerat, quantum præscripsissent Patres, qua in re ab eorum nutu pendebat, ne a regula mediocritatis vel tantillum deflecteret in alterutram partem. Tantam vitæ innocentiam tuebatur confessionis, & Eucharistici panis usu assiduo: quæ mysteria ea frequentabat religionis specie, cujus vel solo intuitu cæteri ad pietatem inflammabantur. Vivere desiit die atque hora qua prædixerat, annum agens ætatis septuagesimum quintum. Neque hic tacendum de filio ejus unico, qui pari sanctitatis opinione decesserat ante paucos menses. Acceptam a Patribus credendi regulam quanto amplexus fuerat obedientius, tanto constantius retinebat, solitus identidem affirmare, nec si Nobilium & Vicus aliter docerent, ab ea se discessurum. Vir nullis excultus litteris, calumnias ethnicorum, & obloquentes Christo Brachmanes refellebat, non solum intrepide, verum etiam diserte admodum, & eloquenter. De Deo autem, de animæ immortalitate, de virtutibus & vitiis, de futura post mortem vita, aliisque religionis capitibus, tanta verborum non modo copia, verum etiam efficacia diserebat, ut ejus congressum litteratissimi quique ethnicorum pertimerent. Ferre non poterat, apud tribules suos morem inolevisse foedum ac barbarum, ut matrimonia passim pro libito conjugum dissolverentur. Hanc ut excinderet corruptelam, egit jam seorsum cum singulis, jam in communi cum pluribus, donec omnium consensu, & Regis auctoritate jussa lex est, ne id liceret in posterum. Atque hæc ejus curarum fuit novissima. Nam paulo post lætus præclari laboris exitu occubuit. Hos nunc ferebat fructus illum olim sterile solum, Deo cultorum laboribus aspirante.

At apud Sinas adhuc christiana res spem inter & metum, pro varietate eventuum, fluctuabat. Antea diximus, quæsitos Macao fuisse curulium tormentorum libratores ad comprimendos Tartaros, qui Imperium internecino bello vastabant. Venerant per eam occasionem plures in Sinam Patres, & quamvis occulte in regnum prorepissent, in eo tamen connivente Imperatore substiterant. At ad libratores quod attinet, infelix quidam eventus in causa fuit, cur statim dimitterentur. Bellicum illi tormentum parabant displo- dere, ut artis suæ publicum quasi specimen ederent. Confluxerat cum Mandarinis belli arbitris frequens populus. Sed machina ærea, seu metalli male fusi, seu pulveris sulphurati vitio, dissiluit in frusta, ipsumque libratores, & quosdam præterea e spectantibus miserando casu discerpit. Hoc genti omnium maxime superstitiosæ visum tam sinistra ominis, ut Imperator, omnesque Mandarinis judicarent, nihil boni esse ab iis expectandum, qui tantum inferrent mali etiam tum, cum vellent bene amicis facere, eosque ipsos occiderent, quos defensum venissent. Creditum etiam est, rem melius felicisque gerendam a Patribus, qui propterea, liberatoribus confestim abire jussis, retenti sunt. At Patrum opera in profano bello necessaria non fuit. Tartari enim in suos fines ob domesticas dissensiones revocati, Sinam, & belli consilia omiserunt.

runt. Reteatis in hunc modum Patribus, & jam Pekini palam ac publice commorantibus, ingens creatum est repente periculum unde minime timebatur. Vir nostrorum amicissimus, dum anam eos perpetuo retinendi quarit, parum absuit quin imprudens perderet. Libellum obtulerat Regi, significans advenas Europæos multæ doctrinæ viros esse, & libros habere egregios de mathematicis disciplinis, quos e re publica futurum esset sinice verti. Libellum Rex subjecit censuræ magistratus, cujus erat de rebus litterariis cognoscere, id unice responsurus, quod ille censuisset: namque ita fert consuetudo Sinici imperii, in quo vix accidit ut Rex quidpiam arbitrato suo decernat. Erat forte in hoc litterario magistratu vir veterum institutorum apprime tenax. Itaque libello expenso, censuram peregit breviter in hanc sententiam: Homines Europæos, qui tantopere laudarentur, temporibus Vanlici turbas excitasse in Sina: fuisse ob eam causam exilio damnatos, nec aliud modo superesse deliberandum, nisi ut quam mox exulare iterum juberentur. Hoc ejus judicium si ad Regem fuisset delatum, procul dubio Patres toto Imperio extrudebantur. At providentia Numinis effectum est, ut responsum malignus censor, contra quam fieri solebat, non eidem libello adscriberet, sed chartæ separatæ. Hanc regius scriba amicus Patrum detraxit de industria, libellum vero ipsum in aliorum fasciculum conjecit, sine judicio censoris. Ita Imperator, dum libellos singulos pervolutat, nullum huic adscriptum responsum videns, rem silentio præterit.

Liberatos metu Patres illud erexit in novam spem, quod aucti sunt dignitate & potentia doctores Michael & Paulus, altero in tribunali rituum, ubi causæ religionis agitantur, locum primo proximum adepto, altero adscito in privatum Principis consilium, quod proregum, rectorumque provinciarum est quoddam veluti seminarium. Inde res nostræ multo latiores factæ. Sane jam virorum talium commendatione Patribus in urbe regia splendida conciliabantur amicitia, nec erat dubitandum quin illi nova potestate uti vellent ad tuendos in posterum liberius contra quascunque adversariorum molitiones Evangelii præcones, & administratos. Veruntamen, ut cuncta humana sunt varia, & omnium maxime favor Principum, secuta mox est rerum magna conversio, quæ nostros admonuit, ut spem suam omnem in Deo, velut in præsidio rerum suarum unico ac summo, collocarent. Ægre ferebant multi ex gravioribus aulæ Mandarinis superbiam, opeque inmodicas Gueicuni cujusdam eunuchi, cui se Rex adolescens regendum permiserat. Oblatis adversus impurum spadonem libellis, cum nullum tulissent a Rege responsum, vel dolore repulsæ, vel de republica desperantes, missionem poposcerunt. Dedit Rex: sed ita, ut præter Paulum honorifice dimissum, ceteros auctore semiviro ejecerit cum ignominia. Visum hoc christianæ rei vulnus haud leve, quo uno tam potentium virorum patrocinium amitteretur. Aliud paulo post eidem inflictum est multo periculosius. Cum deservisset tempestas contra neophytorum sodalitates anno præterito mota Nankini, institutus fuerat in villa territorii Nankinensis cœtus litteratorum ad eorum normam, qui recepto apud nos vocabulo nuncupantur Academia. Huic plures Mandarinorum dederant nomen, ex iis præsertim, quorum nota erat cum nostris hominibus amicitia. Rescivit Rex, multorumque criminationibus adeo permotus est in academicos Nankinenses, ut eorum sex vario cruciatu necaverit, alios totidem addiderit ministerio bajulorum, quod est poenæ genus apud Sinas multo gravissimum, & cum nostris fere triremibus comparandum. Ad hæc edictum proposuit, ne qui uspiam toto regno cœtus in privatis cujusquam ædibus haberentur. Nihil accidere poterat rebus nostris exitiosius. Nam cum folerent Pekinensium primores identidem apud nos convenire, ut de virtutibus ac vitiis conferrent, post hæc, ne in suspensionem venirent initæ cum Nankinensibus societatis, Patrum vitabant consuetudinem, aut certe palam cum iis congregari non audebant. Permansere nihilominus Pekini Patres, quodque mirum videatur, in-

125.
Novum creatur nostris periculum ab amico.

126.
Periculum felici eventu discutitur.

127.
Augentur dignitate doctores Michael & Paulus.

128.
Mox suis dimoventur locis.

129.
Edictum Regis contra privatos quoscunque cœtus.

130.
Consilia Pa-

CO-

trum in ejus
modi tempore.

131.
Alia timoris
causæ in urbe
Hamcei.

132.
Doctor Leo,
dum tueri no-
stros parat, gra-
ve incurrit pe-
riculum.

133.
Summ ac no-
strum pericu-
lum feliciter su-
perat.

columnes. At consilia temporibus accommodantes, incrementa religionis a fen-
su vulgi removere curabant, eumque adhibebant modum, ut neque deesset
neophytis sacrorum usus, neque ullo strepitu magistratus offenderentur.

Dum sic in ipsa regni sede Patribus humana ope destitutis tuta præstabat
omnia benignissimum Numen, trepidatum est Hamcei, nec leviter, nec levi
de causa. Supererant ibi hactenus reliquiæ quædam illius damnosæ superstitionis,
quam Pelinchiaji recens invexerant. Has penitus ut excinderet Prorex
provinciae Chekianensis, edictum atrox paraverat, addideratque edicto capitu-
lum christiana legi contumeliosum, jussis Patribus provincia cedere, ac nisi
cessissent, capitaliter plecti. Nondum reipsa edictum prodierat, sed erat jam
fama pervulgatum, & propediem proditurum ferebatur. In tanto periculo Pa-
tres Franciscus Furtadus, & Joannes Terentius, relictis in urbe fratribus lai-
cis, quibus utpote Sinensibus nihil erat timendum, secesserunt in suburbanum
doctoris Leonis, quo utebantur amicissimo, eique se ac salutem suam, seu potius
publicam religionis, commiserunt. Causam suscepit Leo, uti solebat,
ex animo studioseque, certus conari omnia, ut Prorex edictum mutaret. Sed
ea contra ipsum repente est excitata tempesta, ut ægre tueri se posset qui
aliis opem parabat. Est prope Hamceum lacus peramoeni prospectus, habens in
ambitu millia passuum circiter quadraginta. Ejus omnem marginem, quaqua
patet, Mandarinum impleverant villis, quas domicilia litterarum vocabant, Bonzii
vero coenobiis, & templis Idolorum. Ad eum porro lacum, ut alii plures,
sic etiam Leo villam elegantem extruxerat. Jam vero accidit, ut inter Leonis
famulos & piscatores nescio quid dissidii oriretur, in quo cum succubissent
piscatores, Quæstorem adierunt vociferantes, obesse piscatui ædificium Leo-
nis, nec eo stante posse se pretium, quo jus piscandi conduxerant, fisco per-
solvere. Motus futili accusatione Quæstor, Leone nec audito, dirui ejus vil-
lam jussit. Visa res Leoni indignissima. Adit Proregem, ejusque aequitatem im-
plorans, docet, tot privatis publicisque ædibus oram lacus ex omni parte
occupantibus, eandem esse rationem omnium, nec apparere, cur suam præ-
cipue villam piscatores experirentur incommodam. Probavit exceptionem Pro-
rex. Veruntamen homo vecors, ut juste faceret, unius injuriam ad omnes
transtulit, edixitque Hamceensibus, ut quidquid esset ædificiorum in ripa la-
cus confestim disjicerent. Edictum ut in urbe vulgatum est, immane quanta
indignatio repleverit civitatem. Fremere præ cæteris Bonzii, plebemque ob-
tentu religionis accendere ad tuendas Deorum immortalium sedes. Tum, ut
in Leonem derivarent omnem popularis invidiæ impetum, ipsum unum Pro-
regi auctorem fuisse iniqui edicti dicere. Cultorem scilicet externæ supersti-
tionis, & ritus patrii contemptorem sacrilegum, haud satis habere quod Deo-
rum simulacra foede violaverit apud se, nisi eorum quoque sedes & templa
per summam impietatem eversum iret. Quibus vocibus conflata est contra in-
nocentem seditio adeo vehemens, ut nihil abfuerit propius, quam ut in pro-
priis ædibus cum universa familia vivus combureretur. In illo tumultu nec
sibi, nec nobis desuit vir æque pius ac fortis. Ac primo quidem Dei patro-
cinio fretus, ejus exorare præsidium precibus ac jejuniis studuit. Mox consi-
lio industriaque utens, amicorum interventu pacavit furentem populum, ac
ne quid gravius moliretur obtinuit. Postremo Proregi per litteras persuasi-
fit, ut suppresso invidioso decreto, tolleret seditiois causam, & iram inde
motam extingueret: quo impetrato, reddita est civitati tranquillitas. Unus il-
le supererat metus, ne prodiret ferale edictum, quo Patres exulare jubeban-
tur. Huic quoque malo occurrit Numinis providentia, & periculum non ex-
pectato modo dispulit. Fuerat plures annos Colaorum præses Mandarinus qui-
dam eximius, cui nomen Je, & nostros Pekini benevole semper amanter-
que habuerat. Nunc vero, seu fessus curarum mole, seu pertæsus superbiam
eunuchi gratia Regis impotenter abutentis, vacatione publici muneris impe-
trata, domum remigrabat suam in provincia Fokiensi. Cum divertisset paulu-
lum

lum ex itinere Hamceum, hortatu Leonis ita cum Prorege locutus est de religione christiana, de doctrina, moribus, & probitate Patrum, ut ille permotus talis viri testimonio, caput quod erat de exilio nostrorum e suo edicto deleverit. Rebus demum ita compositis, Patres Terentius & Furtadus, sexto quam abfuerant mense, Hamceum rediere. Sed qualiacunque ea essent, nihil hoc tempore formidolosius accidit relatione quadam invidiosissima, quam ad aulam transmisit Cenfor provinciæ Cantonienfis. Narrabat improbus, degentes Macai Lusitanos moliri multa clanculum contra rem Sinicam, nec aliis uti consiliariis, quam suis quibusdam Bonziis, quos Patres S. Pauli nuncuparent. Hoc passim nomine designantur in Indiis homines Societatis a celebri S. Pauli collegio, quod habemus Goæ. Alia addebat ejusdem ferme sententiæ, falsa æque ac gravia, & ad permovendos Sinarum animos natura suspicaces aptissima. Sed casu, seu potius divino consilio factum, ut ad militare consilium relatio deferretur. Erat ex eo corpore nobilis Mandarinus nomine Ignatius, isque potissimum est delectus, ut rem apud se mature discussam ad collegas referret. Vir ex animo christianus, & Lusitanis occulte favens, ita retulit, ut omnes censuerint Lusitanis non esse molestiam inferendam, bonis quippe sociis & amicis, ex quorum commercio Sina ingentes utilitates ad illam usque diem accepisset. Atque has inter varietates fluebant res in Imperio Sinenfi, nunc spe pravalente, nunc metu.

Cæterum conspecta ibi quoque, ut sæpe alibi, exempla divinæ erga omne genus hominum charitatis, gaudente illo spiritu, qui ubi vult spirat, miris interdum modis ethnicos ad fidem trahere. Hujus rei unum alterumve exemplum subijcere abs re non erit. Cornelii centurionis misericordiam imitabatur vir ex illustri Colæorum ordine Cianfi in provincia Nankinensi. Erat ejus in egenos tam effusa benignitas, ut a suis prodigus diceretur potius, quam pie prudenterque liberalis. Præter quotidiana pecuniæ & alimentorum subsidia, quæ mendicis erogabat, hoc habebat in more, ut instante bruma ingentem vestimentorum numerum compararet, quibus nudos a frigore tutaretur. Ad hæc e famulis certos mittebat sub noctem, qui vicatim circumeuntes, quoscunque invenissent jacentes humi colligerent, ac paratis domibus & lectis inferrent. Viri pietatem indonatum non reliquit divina benignitas, sed opem ejus animæ tulit, quam ipse corporibus pauperum tribuebat. Adfuit illi, ut olim Angelus centurioni Cornelio, sacerdos evangelicus, ac veritatem christiana religionis explicuit. Ille postea quam divinam cognovit legem, sine mora cognitam amplexus est, ac Thomæ nomen in baptismo tulit. Nec vero distulit novæ professionis documenta palam præbere. Quantum habebat domi simulacrorum, & falforum numinum, comminuit, conculcavit, in cineres redegit. Erat eorum numerus ingens, & opinione major: quæ ita prius colebat, ut quotidie ante singula quater minimum præcumberet demisso humi vultu, ac toto corporis habitu ad reverentiam composito. Purgata tot monstris domo, postridie ædium suarum valvis appendit grandem tabulam majoribus inscriptam characteribus, quibus jubebat abstinere procul Bonzios, & idolorum ministros, vetabatque a janitore suo recipi eorum libellos: quod insigne quoddam opprobrii genus est, Sinenfi more, atque instituto. Imposuit etiam foribus sanctissimum Jesu nomen, detractis ante cum contemptu quibusdam demonum formis, quibus averruncari vulgo existimant exitium a domibus, & iis sanitatem ac prosperitatem inferri. Rogatus aliquando quid sentiret de illa Christianorum lege, quæ uxorem unicam in thalamum nuptialem admittit, respondit, exploratum sibi esse, a Christo nihil præcipi nisi sanctum & rectum: salutem vero sempiternam dignam esse, quæ voluptatum omnium privatione comparetur. Cum amicis, post usitata urbanæ comitatus officia, sermonem miscebat de divinis rebus, eosque ad P. Alenium docendos plenius ducebat: qua arte lucratus est bene multos. Ut de aliis fileam, longum certamen commisit cum avunculo, improbo sene, ac superstitioni perditæ addicto. Expro-

To. I.

M m m

bra-

134.
Aliud nostrorum periculum ex falsa relatione ad aulam missa.

135.
Cujusdam Mandarinum conversio memorabilis.

136.
Ejus mirus ardor in proficienda religione christiana.

137.
Idem plures e suis civibus ad Christum pertrahit.

138.
Nankini Bon-
zium paulo ante
mortem ad fi-
dem adducitur.

139.
RES JAPONICÆ.
Mitigatur per-
secutio. Grex
christianus au-
getur.

140.
Persecutio re-
crudescit. Ye-
di plures chri-
stiani capiun-
tur.

brare illi non cessabat senex, quod relictis Sinarum numinibus toto tamdiu cultis Imperio, pauperem, miserum, crucifixum Deum adoraret. Thomas contra inanitatem Sinensium numinum objiciebat avunculo. Evicit ad extremum Thomas, ut senex contumax Alenium de Cruce differentem audiret: quod cum ille præstitisset, uno alterove congressu victus, ad Christi partes transit, haud paulo studiosior earum defensor futurus in posterum, quam irrisor antea & oppugnator fuisset. Ex his initiis coaluit in urbe Cianfio manus Christianorum pietate & numero florentissima. Prostrata sunt, tum in civitate, tum in finitimis circum locis idolorum delubra permulta, aut vero Numini consecrata. Non nihil miraculi etiam habuit, quæ Nankini facta est cujusdam Bonzii mutatio repentina. Ante quam inter Bonzios nomen profiteretur, forum triverat, & in agendis causis venalem facundiam per fas & nefas exercuerat. Nemo illi indignus patrocinio videbatur, qui haberet quod daret: eos autem putabat causa meliores, qui largius donarent. Pudit hominem aliquando artis nefaria, & mutata mente Bonzium induit. Jam usque ad octoginta ætatis annos se duriter discruciaverat, poenas ut lueret vitæ superioris, & aditum sibi ad eum quem fingunt paradysum aperiret. Confectus demum morbo senioque, deferri voluit ad fratris filium, excellentem christianum, cujus etiam odisset religionem, tamen probitatem amabat, virtutes admirabatur. Utque ex ejus colloquio intellexit, mortuum esse pro mortalibus Dei filium, & ab eo referatum generi humano patriæ cœlestis limen, percussus tanta charitate, quæ cadere nisi in Deum verum non posset, totum Christo se devovit, in ejusque laudibus & amore, post acceptum rite baptismum, finem vivendi fecit.

Ineunte anno de quo scribimus, in Japonia, post illas anni superioris cædes, de quibus prolixè dictum est suo loco, visa tyranni acerbitas, si non satietate, saltem defatigatione saviendi non nihil deferuisse. Nam, excepto quod Nangasachii Sacerdotes nihilo remissius quam antea perquirebantur, nemo ibi, aut usquam alibi Christianos ob causam religionis in judicium vocabat. Quam nostri quietem occasionem suam existimantes, caute quidem, sed tamen sedulo, ac sine intermissione dabant operam, ut Christi gregem per eas insulas late dispersum divino subinde verbo, & sacrorum usu retinerent, auferentque etiam numero, ut reipsa auxerunt adultis bis mille & sexcentis, quos partim sua, partim catechistarum manu baptismum consignarunt. At qualiscunque tranquillitas non fuit diuturna, vertitque brevi in atrocissimam tempestatem, cujus præcipue moles incubuit in urbem regiam Yedum, sedem Imperatoris. Versabatur ibi Joannes Faramon, vir regia prognatus stirpe, sed pietate & fortitudine, quam affinitate Principis multo clarior. Hunc jam pridem Daifusama, christiani nominis odio bonis spoliatum, exilio damnaverat. Eidem mox in patriam retracto extremas manus ac pedes amputari iusserat, & iniusta cruce, tanquam probroso stigmate, frontem notaverat. Novissime exturbaverat illum denuo suis adibus Xogonus, edixeratque ne quis exulem tecto exciperet, neu cibo aut officio ullo, quod impendi solet vel despiciatissimis, juvaret. Tyranni lex inhumana non deterruit christianum quemdam Yedensem, quominus egregium exulem revocaret in patriam, & domi suæ abderet. Retrusus Faramon in tugurii angulum, dignam spectatore cœlo, ac laudatore debebat vitam, Deo contentus uno scilicet, ac pretiosa paupertate dives. Unus illi restabat e pristina opulentia servulus, vir fidei jamdiu expertæ, quam cum domini fortuna non mutaverat. Verum is, tepesfacto paulatim studio pietatis, cum cœpisset servire libidini, hero servire deliit. Utque ita passim usuvenit, ut paupertas, cum toleratur ingratis, multorum sit magistra scelerum, hostis ex amico, ex famulo proditor factus est. Deerrant libidinoso pecuniæ, unde suas aleret insatiabiles cupiditates. Quæstum facere, prodito hero venditoque, decrevit. Hac mente conveniens Gubernatorem urbis, docet Faramonem exilio damnatum versari in civitate, & in-

retinenda peregrina superstitione multo esse quam antea pertinacior. Ad-
dit dubium sibi non esse, quin Evangelii præcones in urbe sint, ac duo præ-
fertim sacerdotes, Hieronymus de Angelis e Societate Jesu, & Franciscus
Galbes ex ordine Franciscano: se tamen ubi sint, quia latebras sedulo muta-
bant, certo non scire. Postremo e civibus plurimos christianos nominat, ex
quibus sacerdotum indicia elici possent. Nihil distulit Prætor injicere Fara-
moni manus. Eodem die comprehendit appellatos a proditore christianos,
qui statim in questionem dati sunt, ut de duobus sacerdotibus indicarent.
Omnes in profrenda Christi religione constantes, & æque fortes in celandis
Patrum hospitibus extiterunt, præter unum, cujus pallor ac trepidatio suspicio-
nem fecit, iniecitque spem exprimendæ veritatis. Extemplo humi supinus
sternitur, admotoque ori infundibulo, tantum aquæ sorbere cogitur, quan-
tum capere venter posset, qui deinde multo pressus pondere illam per om-
nes corporis meatus dolore incredibili refunderet. Defecit hominem in cru-
ciatu patientia. Ac Hieronymum quidem de Angelis latere dixit in domo Leo-
nis cujusdam Tachejæ: de altero Sacerdote negavit sibi esse compertum. Con-
festim domum Leonis curritur. Silentem, ac tergiversantem urget ipse pro-
ditor, & a se conspectum ejus domi P. Hieronymum tali die, tali hora con-
firmat. Ita esse demum respondit Leo: verum alio discessisse jam, nec explo-
ratum sibi esse quo evaserit. Addidit, daturum se operam ut eum reperiret,
nec dubitare quin ultra se ipse sisteret Gubernatori, si modo de periculo ho-
spitis sui cognosceret. Ea vox ubi ad Hieronymi aures accidit, hæsit aliquan-
diu incertus quid consilii caperet. Erant qui liberandum ejus hospitem cre-
derent, si ipse sponte sui copiam faceret iudicibus, eamque forte spem Gu-
bernator ostendebat de industria, ut Sacerdotem haberet in potestate. Id ple-
rique sibi persuadere non poterant, & etiam si verum esset, negabant tanti
esse vitam laici unius e multis, ut Sacerdotis tam necessarij vitæ antepone-
nda videretur. Hieronymus, consulto impensus Deo, vidit quanta pernicies ef-
fet piorum domibus inferenda, si latere pergeret: nec enim cessaturos impios
satellites vexare multos, ut unum reperirent. Reputabat quoque secum, quan-
tum apud neophytos offensionis habitura esset ipsius fuga, quam necis me-
tum procul dubio interpretarentur. Quid vero, agebat, expectandum ab ovi-
bus sit, ubi pastorem viderint metu conterritum, & turpi fuga dilapsum?
His diligenter expensis, faciendum omnino sibi duxit, ut sponte conveniens
Gubernatorem, voluntariæ se neci offerret. Deponit Japonicum habitum,
sumptaque Societatis veste discedebat. Abeuntem circumstitere christiani mœ-
rentes, orantesque ne miserum & afflictum gregem tot inter luporum insidias
desereret. Cum nullæ neque preces, neque lacrymæ obfirmatam in proposito
mentem flecterent, orabant saltem, ut sua cum illo profiteri liceret nomina
coram Gubernatore. Paratos esse se vincula cum illo induere, & per mille
cruciatu gloriosam pro Christo, mortem oppetere. Sed neque id tulit Hierony-
mus, expectanda dictitans divinæ providentiæ iustia, non temere prævertenda.
*Ad me quod attinet, hæc, inquit, est hora mea, hæc præstituta divinitus dies.
Fidem obligavit suam hospes meus: hanc liberare meum est, nec fas ut ille meo
loco pereat.* Ita demum circumfusæ multitudini persuasit ut abisteret, & ad
meliora se tempora reservaret.

Non tamen ab amantissimo magistro divelli potuit Frater Simon Jempo,
assiduus ejus comes, & in explicanda divina lege strenuus administer, qui
adscriptus nuper fuerat in Societatem. Jacebat ad P. Hieronymi pedes op-
pletus lacrymis, utque olim Xistum Pontificem Laurentius, ne se comitem
ad triumphum respueret, rogabat. *Egone, agebat, superstes tibi sum? Ego te,
mi Pater, quem nunquam viventem desitui, morientem deseram? Hancine
perfidiam in me posse cadere putavisti? An vero te obsequii mei atque operæ
penitet, ut quem tot annos socium adscivisti, nunc respuas, cum maxime ti-
bi meam probare fidem ardeo?* Ea dicentem suavissime complectens Hierony-
mus:

To. I.

M m m 2.

mus:

141.
Unus inter tor-
menta P. Hie-
ronymum de
Angelis prodit.

142.
P. Hierony-
mus se vitro si-
stere Gubernat-
ori statuit.

143.
Conantur fru-
stra christiani
eum retinere.

144.
Comitem se il-
li addit Fr. Si-
mon Jempo.

145.
Patris Hieronymi constantia, & sagacitas coram Judice.

146.
Conjicitur in carcerem cum Simone Jempo. Ambo rem utiliter gerunt.

147.
Novus Japoniæ Imperator, ejusque prima sententia contra christianos quinquaginta.

148.
Qui perducuntur ad rogam cum P. Hieronymo de Angelis.

149.
Apparatus supplicii describitur.

mus: Nec me poenitet, ait, operæ tam fideliter a te tot annos mihi ac religioni navatæ, nec mihi venit in mentem dubitare de animi tui fortitudine, quam tot in laboribus periculisque spectavi. Sed superesse cupiebam qui destitutum gregem pasceret, extincto me. Nunc quandoquidem hanc tibi mentem Deus, ut video, aspirat, hæc ista virtute, & ad tribunal pariter properemus. His dictis, ambo perrexerunt. Oblatus Gubernatori ex improvise Hieronymus, exporrecta & hilari fronte narrat qui sit, & qua causâ ex remotissimis terræ plagis per innumeros errores, & mille vitæ discrimina venerit in Japoniam. Permotum se, ait, calamitate gentis cultissimæ, quam sempiternum maneret exitium, nisi Christi cultum susciperet, veteri superstitione abjecta. Miratus dicendi libertatem Gubernator, paulum velut attonitus obticuit. Mox colligens sese, quas adierit civitates, quibus hospitibus fuerit usus, rogat. Cui Sacerdos non imparatus: Nulla certa, inquit, nec sua domus est pauperibus, quales nos esse profiteamur. Cuncta mendicantibus patient, nec quemquam hospitia publica respuunt, modo non desit quantalacunque pecunia, quam e civium liberalitate colligere promptum est. Hæc dicens, nummulos paucos in eam rem allatos prompsit. His ego, adjecit, hæctenus vicitavi, quos jam ut inutiles libens abjicio, de tuo in posterum victurus. Sensit artem Gubernator, & aridens laudavit respondentis ingenium. Tum ambos in carcere attineri separatim iussit. Pars carceris honestior data P. Hieronymo. Simoni alia, in quam sceleratorum fœx conjici solita. Cum multi essent in iisdem vinculis ethnici, uterque nactus est ubi operam fructuose poneret. Simon paucis diebus homines quadraginta ad fidem primo, deinde ad bonam frugem adduxit, scripsitque ad Patres Societatis, confidere se, modo decem suppeterent dies, futurum ut omnes ethnicos, qui secum eadem custodia tenebantur, ad Christum converteret. P. Hieronymus octo tantum ethnicos baptizavit, quia plures in ergastulo suo non reperit.

Aberat Yedo cum hæc acta sunt Xogonus Imperator, Meacum profectus, ut filio jam vigesimum ætatis annum egresso hæreditatem imperii, quæ est Japonum consuetudo, traderet. Cum tradidisset, & nihilominus sibi nomen potestatemque pristinam reipsa retinuisset, Yedum reversus est circa finem Novembris cum filio, & ingenti regulorum comitatu, qui ex tota Japonia confluerant ad cohonestandam præsentia sua inaugurationem novi Principis. Illum Gubernator confestim certiore fecit de captis Evangelii ministris (nam & P. Franciscus Galbes haud ita pridem fuerat comprehensus), aliisque Christi cultoribus fere quinquaginta, rogans quid iis fieri juberet? Judicium hoc senex Imperator permisit filio, cui etiam Xoguno nomen, & par in Christianos odium. Exarsit continuo juvenis, & ira æstuans: *Vivi flammis absumentur*, inquit: *hi, quia legem Christi prædicarunt, isti, quia amplexi sunt.* Hæc prima novi Regis sententia, hoc imperii nuper initi specimen primum fuit, ex quo licuit augurari, quas deinde strages belluæ tam feræ esset editura. Dicta sententia est III. Nonas Decembris. Postridie omnes ferreis levati compedibus, injecta collo recte, manibus a tergo revinctis, per civitatis amplissimæ vicos ad ignominiam circumaguntur. Ducebant sacrum agmen duo sacerdotes, P. Hieronymus de Angelis, & P. Franciscus Galbes: tum Joannes ille Faramon, Imperatoris consobrinus, cujus supra mentionem fecimus. Tres isti equis insidebant, ut conspectiores essent qui cæteris dignitate præstabant. Frater Simon Jempo, alique sex & quadraginta, sequebantur pedites. Permixtæ in felici turba viris femina, puerique conspiciantur. Suum cuique nomen majoribus exaratum litteris pendebat ab humero, præibatque sententia hastili summo præfixa, & totidem plane verbis concepta: *Isti ad ignem damnati sunt quia christiani.* Patebat prope urbis occidentalem portam ingens arca, destinatus supplicio locus. In medio stabant stipites quinquaginta per æqualia intervalla dispositi, nisi quod tres extra reliquorum ferient

riem eminebant. Strues lignorum hinc inde congesta una fere ulna distabat a palis. Aream claudebat compactum e sudibus septum, cujus aditum milites custodiebant. Ad hunc locum, vulgata tragœdiæ peragenda fama, effudit se visendi studio civitas universa, & prope par advenarum numerus, nobiles præsertim, ac reguli provinciarum, quos secum novus Imperator adduxerat. Ingressi feralem scenam sancti actores, ad suos singuli palos alligati fuerunt. Duo tamen Sacerdotes, & Joannes Faramon vetiti sunt desilire equis, sed spectare foris iussi, ut alieno torquerentur ante cruciatu quam suo, & forte tererentur. Dum alii ad supplicium aptabantur, P. Hieronymus, ut exstabat in equo sublimis, vocem intendit ad populum, maxime vero ad regulos dynastæque, & de christianæ religionis necessitate ac dignitate vehementer, ac splendide verba fecit. In eandem sententiam peroravit Galbes, ac demum, etiam Faramon, qui cum esset ad dicendum omnibus naturæ & industriæ præfidiis instructus, non leves aculeos in audientium animis defixit. Nondum hic finem dicendi fecerat, cum reluxit ignis materiæ siccæ admotus, & paratas victimas involvit. Perstrepebat populi cæcum murmur de iudicium immanitate querentis. Virorum foris clamor auditus, non gemitus, ac ne motus quidem corporum visus. Incessit ingens ethnicos admiratio, qui tam novam cernerent in humana natura fortitudinem, ejusque causam ignorarent. Christianorum vero adeo non sunt animi tam diro spectaculo perterrefacti, ut imo duo ceteris animosiores, vir unus, altera mulier, e media turba proruperint ad repagula, se quoque christianos esse clamitantes, orantesque beata necis participes fieri. Capti sunt illico, & quamvis ad pœnam dilati, tamen confessionis suæ præsentem & jucundissimum fructum perceperunt ex gaudio christianorum, & aliorum admiratione. Depastis incendio corporibus, felices animæ evolaverant: cum ex equis delapsi tres ultimi pugiles, in stadium lati profilierunt, & ad suum quisque stipitem victi fuerunt. Incensa pyra, audiebatur P. Hieronymus oppositam rōgo suo multitudinem monere, hortari, erudire. At tandem incussa ori flamma loquenti animam cum voce interclusit. Par Franciscani constantia, par Faramonis fuit, qui etiam conspectus est globos flammarum expansis brachiis invitare quodammodo, & amplecti, stetitque in immani cruciatu velut doloris omnis ac sensus expers, donec in genua similis adoranti concidit. Reliquiæ corporum appositis excubiis toto triduo servatæ, mox a christianis certatim direptæ sunt. At P. Hieronymi caput in collegium Macaense prius, inde Ennam Sicilia urbem translatum est, ubi nunc etiam cum honore servatur.

Priusquam ad alia progrediamur, postulat instituti nostri ratio, ut de P. Hieronymo de Angelis, ejusque socio Fr. Simone Jempo pauca dicamus. P. Hieronymus in Japoniam nonnisi post diuturnos terra marique errores pervenerat. Profectus enim Ulyssipone, ut alibi dictum est, in Indiam cum P. Carolo Spinula, & tempestate abreptus in Brasiliam, inde in Angliam, ac denuo in Lusitaniam fuit deportatus, ubi post sacros ordines susceptos, rursus commisit se mari Japoniam petens, quo sua illum ferebant vota non minus antiqua, quam incensa. Huc aliquando tandem devectus, campum nactus est arumnarum apprime feracem, collegitque fruges uberrimas, quas neque Bonziorum perfidia, neque Imperatorum sævitia potuit convellere. Damnatis exilio præconibus Evangelii anno labentis sæculi decimoquarto, remansit ipse in latebris, ac Japoniam omnem ultro citroque permensus, tam multa, tam difficilia perfecit, ut naturæ mortalis conditionem ac vires superare videantur. Primus in regnum Voxuanum, & quatuor finitimas tetrarchias, primus in Yechigum, Devam, & Sandum, tria regna ad ultimos Japoniæ fines remota, fidem intulit. Primus penetravit in Giezum, quæ terræ plaga angusto a Japonia dirimitur freto, & insula ne sit, an pars continentis, nondum est exploratum. Idem omnium primus invisit centum & amplius exules, Tzugaram in extremum Japoniæ angulum relegatos, eosque alloquio pio & sacrorum usu recrea-

150.
Cremantur
quadragesima se-
ptem. Eorum
constantia ad-
mirabilis.

151.
Ultimo loco
comburitur Pa-
ter de Angelis
cum aliis duo-
bus.

152.
Elogium Pa-
tris Hieronymi
de Angelis.

153.
Testimonia
quædam ejus
memoriæ per-
honorifica.

154.
Elogium
Fratri Simonis
Jempo.

155.
Spe præmij au-
getur numerus,
& improbitas
delatorum.

156.
Edicta quæ-
dam contra re-
ligionem Chri-
sti promulgan-
tur.

recreavit. In regnis Cami, cum illuc primum appulit, vix mille reperit mor-
tales christianis sacris imbutos. Ipse brevi tempore supra dena millia abluvit
sua manu, resque ita composuit, ut quæ facta postmodum est accessio multo-
rum millium, illius potissimum industriæ, secundum Deum, referretur ac-
cepta. Yedum denique accitus a suis moderatoribus, biennium integrum in
ipsa tyranni regia, atque inter infensissimos religionis hostes confedit pene
ignotus. Adeo colorem Europæum tot annorum assidui labores detraxerant.
Hoc certe extremo tempore ita erat retorridus ac macilentus, qui antea cor-
pulentus, ac succi sanguinisque plenus, ut idem esse non putaretur. De eo
scribens qui in ipsius successit locum P. Joannes Matthæus Adamus; *Vix*, in-
quit, *sacerdotes quinque ferre laborem possumus, quem P. Hieronymus de An-
gelis perditu solus tulit*. Nec earum gentium neophyti quid deberent Patri
Hieronymo in suis ad Romanum Pontificem litteris tacuerunt. Voxuani ad
Paulum V. perscripsere in ejus laudem copiosissime, hunc agentes Apostolum
suum, ac primum institutorem fuisse, seque enimvero fortunatos predicantes,
qui tali ac tanto viro potirentur. Siculus erat, ea in urbe natus, quam En-
nam antiqui, Castrum Joannis recentiores vocant. Adolescens juris discendi
causa Panormum cum venisset, animum appulit ad Societatem, cujus tiroci-
nium posuit Mellanæ. Annum agebat cum beata nece donatus est sextum &
quinquagesimum, viginti duos exegerat in missione Japonica. Frater Simon
Jempo in regno Fingensi natus, ex annis tribus & quadraginta quos vixit,
primos sexdecim traduxerat in Bonziorum cœnobio, falsorum numinum cul-
tu involutus. Christi fidem amplexus, totum se addixit Patribus, laboresque
maximos, quibus respondit ingens animarum proventus, exhaustit. Inducto
christianæ fidei magistris exilio, venerat in Philippinas. Verum anno proximo
regressus clam in Japoniam, popularibus & voce, & exemplo plurimum pro-
fuit. Erat nostris omnibus, cum indolis suavitate, tum morum innocentia
apprime carus. Itaque extremo vitæ anno cum petisset in Societatem recipi,
haud ægre impetravit. Quam alacri ac forti animo mortem pro Christo adie-
rit, supra narratum est.

Postridie quam martyres supplicio affecti sunt, prodiit in frequentem
urbis plateam regii præfectus ararii, & illum quem dixi famulum Faramonis,
a quo sacerdotes innocentes cum tot christianis fuerant indicati, alta voce
compellans, ei coram populo pretium proditiōnis adnumeravit aureos mayo-
res nummos triginta, quæ summa si ad rationem nostram revocetur, aureo-
rum est duorum fere millium. Eidem adjudicavit magnificam domum unius &
combustis martyribus, quæ ad fiscum ejus supplicio redierat. Non defuerunt
sane ex ipsis ethnicis qui palam superos precarentur, ut infamis quæstus male
proditori verteret. At plures de sæce vulgi, spe tantæ mercedis illecti,
(tantupdem enim accepturos denunciaverat præco, quicumque christianos &
religiosos, aut horum hospites indicassent) nullam inquirendi & vestigandi
curam prætermiserunt. Impetum in domos quaslibet scelerati faciebant, & ar-
repta indicij vel minimi causa, spoliabant omnia, ac diripiebant, parentesque
cum liberis in jus ambulare cogeabant. Non vicinus a vicino, non amicus ab
amico tutus. Quocirca plerique, deserta civitate & hominum consortio, in
ferarum antra confugerunt. Reliqui e suis ædibus omnia religionis monumen-
ta, & signa vel levissima sustulerunt. Sed artem invenit ethnicorum furor,
qua religio ex ædibus velut pulsa, ex animis quoque multorum brevi expel-
leretur. Promulgatum fuit edictum, ut quicumque Yedi degeret, hospes an-
civis, die constituta quotannis coram Ædilibus profiteretur, quam servaret le-
gem, quod numen coleret, cui sectæ dedisset nomen, quem Bonzium habe-
ret ducem doctoremque pietatis. Item ne quis peregrinus Christi cultor in
publica reciperetur diversoria, sed statim pertraheretur ad Prætozem, vel sal-
tem ipsi denunciaretur. Hoc lethali vulnere percussa religio, paulatim ibi
concidit, non tamen sine longo, & cruento certamine. Repertæ eodem anno
ca-

eademque in urbe Yedenſi fortes animæ, & digni primis ſæculis heroes, qui omnem atrocis edicti ac ſuppliciorum vim perferre, quam obligatam Deo fidem fallere maluerunt. Sub extremum Decembrem ad poenam vocati ſunt pro ſuſcepta religione cives quatuor & viginti. Eorum ſex lentis ignibus conſecti, vir unus, & quinque feminae. Cæteri aut obruncati, aut in crucem acti, aut barbarum in modum diſcerpti. Adjuncti illis erant ethnici tredecim, neſcio qua cauſa damnati: ſed in eodem ſupplicio nimum quantum diverſi vultus, atque animi. Hi, ut in ſumma deſperatione, moeſti, dejecti, & miſerabiliter ejulantes. Chriſtiani contra lati alacresque, quippe erecti certa futurorum honorum ſpe: quod diſerimen ab omnibus notatum eſt. Sed miranda in primis accidit alacritas infantium, qui in hac turba plurimi inveniebantur. Pars, quia nondum pedibus inſistere poterant, inter liſtorum brachia geſtabantur. Pars viam ludibundi ridentſque carpebant. Nemo non cohorruiſſet, cum ex illo parvulo grege alii a carnificibus capite amputato caſi, alii diſſectis ab umbilico ad collum uſque viſceribus maectati, alii tranſverſo corpufculo duas in partes diviſi, alii demum uno arrepti pede, & fruſtillatim conciſi fuerunt. Spectabant carnificinam intrepidæ matres, & in filioliſ prius crudeliuſque, quam in ſuo rogo moriebantur. Neque tamen tam immani ſupplicio fatiata eſt tyranni crudelitas. Haud ita multo poſt alia ſeptem mulieres, ac viri decem, ob cauſam religionis in flammas conjiciuntur, ac ſimili conſtantia mortem excipiunt. Fuit in hoc numero nobilis adoleſcens ex ephebis ipſius Imperatoris, non alia cauſa neci datus, quam quod ſuas ædes chriſtiano locaſſet. Ita barbarus Imperator in urbe imperii ſede divinam religionem exſcindere moliebatur.

Nihilo mitius agi coeptum in reliquis imperii provinciis. Cum enim ubique mores, ſtudia, & exempla Principis vim potentiſſimæ, ac ſanctiſſimæ legis habere ſolent, tum vero mirum quantum valeant apud Japoniæ regulos, & tetrarchas, quorum fortune ac diademata ita ſunt in manu Imperatoris, ut perlevi nutu poſſit eos dignitate, opibus, ac vita ipſa ſpoliare. Quamobrem ejus iram veriti, ejus decretis & exemplo compulſi, ad ejuſdem ſe ſinixerunt indolem cæteri Japoniæ principes, & ad excidium chriſtianiæ rei certatim conjuraverunt. Pervaliſt ultimos imperii fines atrociſſimæ tempeſtatis turbo, & labefactatam ſuperiorum temporum acerbitate religionem lamentabili ſenſim ruina, & irreparabili clade proſtravit. Regnum Devæ ultimus ad ſeptentrionem Japoniæ limes eſt, regio perfrigida, & nivibus perpetuis inhorreſcens. Ibi pugnatum in Chriſtianos frigore, ut igne ac rogis alibi. Cum aſpera ſaviret hiems, ac domos etiam optime claſſas horrore perfunderet, totæ familiæ ſpoliata veſtibus, & oppidis pulſæ, in patentibus campis pernoctare ſub diſ coactæ ſunt, ubi pueri parvuli, ac teneræ cum matribus virgines frigore conſectæ, vitam infelicem vulſis radicibus ſuſtentabant. Ajunt eo redactas fuiſſe matres, ut filioli� alios aliis ingeſtos, & in excavata parumper humo coacervatos, herbis ac terra cooperirent, ne nivibus, aut urente vento necarentur. Movit ea calamitas Bonzium, qui paulo magis quam cæteri Bonzii homo erat. Itaque veſtes, cibaria, & ligna miſeris importanda per ſervos ſuos curavit. At repudiata ſunt a neophytis omnia, ne ſi a Bonziis aliquid accepſſe dicerentur, apud reliquos Chriſti aſſeclas in ſuſpicionem venirent perſidiæ, vel ignavia.

Par multorum conſtantia fuit in provincia Achitenſi, nec virorum tantum, ſed etiam mulierum. Unam præ reliquis novo tormenti genere cruciarent. Catenis ferreis alligatam columnæ cuſtodiebat globus militum, vetabaturque ne quis illi quidpiam potus aut cibi ferret. Stetit mulier ad plures dies impaſta, inedia, frigus, & impudicos militum obtutus, haud leve tormentum muliebris verecundiæ, perferens. Sed pars ſupplicii aſterior duo fuerunt filioli, alter decem natus annos, alter duntaxat tres, qui fame enecti cibum diu noctuque a matre rogabant, & querulo planctu maternas aures perpetuo

157.
Necantur alii
chriſtiani vi-
ginti quatuor
Yedi.

158.
Deinde alii
ſeptendecim.

159.
Reguli ac te-
trarchæ conju-
rant in religio-
nis excidium.

160.
In regno Devæ
frigore vexan-
tur chriſtiani.

161.
Oblatam a
Bonzio opem
reſpuunt.

162.
Mulieris im-
mane tormen-
tum, & mira
conſtantia.

ferie-

163.
Par alterius fe-
minæ virtus in
acerbissimocruci-
ciatu.

164.
Septennis pue-
ri facinus illu-
stre.

165.
RES PHILIPPI-
NARUM.
In insula Boho-
lenfi demon se-
ditionem con-
citat.

feriebant. Genua caræ parentis amplexabatur panem orans pugio trimulus, eumque frater natu major subinde allevans inter brachia, matris uberibus admovebat. At sicca ubera nihil dabant. Vocem unicam, unicum postulabat a matre nutum tribunus militum, ut eam cum liberis cruciatu eriperet: non tamen a forti muliere vocem, aut nutum expressit, priusque mortuam vidit, quam metu mortis, aut filiorum amore debilitatam. Haud absimilem triumphum retulit in urbe Morioca, provincia Nambuæ primaria, altera fortis femina, cui Magdalena nomen. Tam arcte constricta fuerat vinculis, ut funes in crurum brachiorumque carnes intimas adacti nihil exstarent. Ita vincula sternitur humi prona, jacentique carnifex educto gladio tria quatuorve carnis frustra ex dorso abscondit, & videnda oggerit. Exiit illa se hilari vultu, & hanc sacrificii sui partem recenti manantem sanguine aspectans, gratias habituram se Deo immortales dixit, si victimam integram suo dicatam numini accipere non gravaretur. Simul collum tortori porrigens, sacrificium explevit. Ajunt, clarissimam facem ejus imminente vertici, cum torqueretur, fuisse conspectam. Addunt, cum fuisset objectum tigridi famelicæ cadaver, feram non modo intactum illasumque reliquisse, sed quasi subito correptam terrore sustulisse clamorem, seque in suam caveam toto triduo abdidisse. Mira profecto accidit in imbelli sexu fortitudo vitæ mortisque contemptrix: sed in tenera ætate æque admirabilis. Ad ea igitur quæ hæcenus narrata sunt, juvat postremo loco atterere pueruli septem duntaxat annos nati præclarum facinus, in quo majorem quocunque cruciatu animum admirari licebit. Sæpe illum, admonerat genitor, Christianos, quæcunque proponantur supplicia, nunquam debere a Christi fide dimoveri: quidlibet ferendum prius, quam fidem abdicandam. Respondebat puer, ita sibi omnino persuasum, ita esse deliberatum. Quadam die, cum forte assiderent ad focum, sermonem eundem inferens pater: *Age vero, inquit: periculum fac, & qui sis futurus, si res ita postulet, doce.* Aderant ante oculos ardentis prunæ. Unam forcipe arreptam pater puero obtulit. Porrexit hic manum sine mora, & impositum volæ ardentem carbonem immotus, ac nullo doloris edito signo sustinuit, donec pater collacrymans, & filiolum amplectens: *Jam facis fidem, ait: projice.* Projecit puer, non sic tamen ut eum excuteret celeriter, sed inversa paulisper manu sensim excidere passus est. Hos christiana religio suis cultoribus spiritus, hanc animi magnitudinem pueris ipsis afflabat. Exempla ejusdem generis, cum ad res anni proxime consequentis narratio pervenerit, exequemur.

Nunc gradum facimus in Philippinas, insulas, ac primo narrandam loco sumimus foedissimam rebellionem ab indigenis hoc anno motam contra Hispanos, quorum religionem æque ac imperium averfabantur. Initium mali factum in insula Boholensi per absentiam Patrum. Aberant autem propterea, quod, allato nuper nuncio de concessis Indiarum Apostolo sanctorum honoribus, convenerant in collegium Zebuanum, ut novum ejus cultum læticia insigni celebrarent. Hoc captato tempore malus dæmon (namque ita creditum est) se Divatam, id est tutelarem regionis deum affirmans, nonnullis e primoribus se videndum obtulit humana specie, sed ore velato, & seditionis faeces incussit. Venisse se, aiebat, ut genti miseræ, & plus nimio ab extraneis tyrannis oppressæ opem ferret, eximeretque carissimum populum servitute. Neque vero difficile id factu esse. Irent, ac popularibus denunciarent, abruptum cum Patribus omne commercium, excutiendum jugum Hispanorum, iterum in montana secedendum. Si jussa fecerint, bene beateque victuros in posterum, & in summa rerum copia futuros, quippe immunes tributorum, quæ hæcenus regis arario contulissent. Secus, perpetuo miseris & afflictos fore. Caterum Hispanos ne metuant. Effecturum se in pugna discrimine, ut hostium missilia sint innoxia, aut in ipsos recidant. Eisdem versum iri in lapides, si modo Bissajæ (hoc nomine designantur indigenæ) ad ipsorum conspectum pronunciarint vocem *Baid*, quæ gentis lingua lapidem sonat. Hæc Diva-

Divatam adpromittere, hæc certissime eventura. Sic ille sive dæmon, sive dæmonis imitator: cujus voce decepti qui erant in populo spectatissimi, facili negotio in eandem fraudem rude vulgus traxerunt. Fit ergo popularis conspiratio contra Hispanos. Unum omnium, & commune votum est libertas. Totam insulam furor insanus, & libido libertatis antiquæ pervolat. E sex majoribus pagis, in quos omnis Boholensium civitas erat distributa, Lobocenses tantum, & Blacajonenses in officio manserunt. Quatuor reliqui cum armis in apertum prodierunt. Fama tumultus Boholensis, cæteras perquam celeriter insulas pervagata, traxit in partes Leitern, insulam vicinam, & populo frequentem, concitante præsertim animos, & ferale classicum canente perfido sene, qui cum Divatæ fanum struxisset Carigara in oppido insulæ primario, confectis ejus oraculis & promissis, plerosque insulanos in seditionem impulit. Fuere tamen hic quoque, qui consentire popularium perfidia noluerunt: cujus rei causa ortum est civile dissidium, in quo quinque ex fidelioribus manu perduellium interfecti fuerunt. Reliquarum insularum populi, in belli exitum intenti, respiciebant ad Boholenses & Leitenses conjuratos, sumpturi ab iis consilium, vel quiescendi, si vincerentur, vel imitandi, si vincerent. Sed non anceps diu fuit deliberatio. Ut ad arma ventum est, senserunt malo suo rebelles, quam mendacem haberent Divatam, quam inanibus promissis fidem habuissent. Suum illud *Batò* in acie ingeminarunt frustra. Hispani clamoribus nequaquam terri, nihilque minus quam lapides effecti, irruerunt magno impetu in multitudinem, partim conciderunt, partim fugarunt. Plerique in montes compulsi, receptam utcunque libertatem sibi gratulabantur. Sed hinc etiam dejecti ab Hispano milite, pacem suppliciter petere, ac se victori permittere coacti sunt: quo demum omnes, posita ferocia, ad officium redierunt. Jam vero in hoc furialis belli motu labor nostrorum ingens, nec inutilis fuit. Multos continuerunt ne ab Hispanis deficerent, plurimos post defectionem ad saniora consilia revocarunt. Pacatis ad extremum insulis, occasionem augenda pietatis ex ipsa impietate rebellium arripuerunt. Inter cætera a Boholensibus acta nefarie, confregerant cum insigni contemptu, aut dissipaverant omnia christianæ religionis monumenta, & quatuor pagorum ecclesias incenderant. Effigies præsertim erat B. Virginis, quæ a populo colebatur religiosissime. Hanc illi, distu nefas! repetitis ictibus lancearum foede violaverant, exstabantque in ejus ore tristes sacrilegii notæ, & cum horrore conspiciebantur. Nostri ergo, ut illatam Deiparæ injuriam honore rependerent, imaginem ita multatam pompa quam licuit maxima circumferendam curarunt, devectamque per celebriores Zebuensium vias, triumphantis in morem exceperunt in aede Societatis, ubi visitur etiam nunc in ara maxima, & summa omnium religione colitur.

Rebus adeo perturbatis inter Bissajas, novus Societati campus laborum apertus est in insula Marinduquensi, quæ millibus passuum fere centum viginti a Manila disjungitur. Hanc jamdiu Hispani pacate obtinebant: at semen evangelicum, quod per quosdam clericos spargebatur, fructum efferebat in illo solo nullum, aut perexiguum. Vocati itaque fuerunt operarii Societatis, hique, Deo bene juvante, rem ita gesserunt, sic operam & industriam suam incolis probaverunt, ut eorum expeteretur mansio perpetua, velut perpetuum ac porro magnum insulæ beneficium. Rescivit de Marinduquensium desiderio Antistes Manilanus, utque illi faceret satis, curiam, quæ forte destituta Parocho inveniebatur, Societati tradidit. Quis ex nostris primus eam ceperit administrandam, non invenio. Sed quisquis ille fuerit, initiis profecto cepit egregiis. Pauci adhuc indigenarum fuerant in pagos ad convivendum contracti. Plurimi post susceptum baptismum redierant ad avitos montes, & more veteri in barbarie vivebant. Ut vulgatum est, Curiones deinceps fore de Societate, reversi sunt desertores, ac plures barbarorum familiæ sponte in plana descenderunt e suis jugis, ut novo Pastori se instituendas offerrent. Adeo infederat Indorum mentibus hæc opinio, homines Societatis bene mereri de

To. I.

N n n

omni-

166.

Due insule
conspirant de
excutiendo Hi-
spanorum jugo

167.

Conjurati vin-
cuntur ab Hi-
spanis.

168.

Nostrorum res
gestæ ante, ac
post tumultum.

169.

In insula Ma-
rinduquensi cu-
ra animarum
committitur So-
cietati.

170.

Novus ibi Pa-
rochus rem ge-
rit feliciter.

omnibus, & nihil omnium in India, præter salutem animarum quærere. Opinionem non esse falsam senserunt brevi Marinduquenses. Correpti enim, seu cœli vitio, sive alia causa, exitiali quodam pestilentiæ genere, in ea calamitate, non solum animorum solatia, verum etiam corporum adjuncta a novo Parocho perceperunt. Hinc aucta erga illum incredibiliter benevolentia, in quo uno insulani communem, atque optimum parentem sibi datum viderent. Accessit paulo post aliud non leve beneficium. Mos ibi inoleverat barbarus, ut quicumque pecuniam accepisset ab altero mutuum, ei serviret gratis, donec debitum dissolvisset. Quod si quisquam alius interea tantundem pecuniæ daret fœneratori, ille jus acquirebat in debitorem, & hunc abducebat in servitutem. Morem charitati christianæ repugnantem pro merito infestatus loci Pastor, intra breve tempus abrogatum vidit.

171.
Mors & elogium P. Joannis Riberæ.

Duos interea desideravit provincia Philippinensis dignissimos posteritatis memoria viros, Patrem Joannem Riberam, & Fratrem Gasparem Gomez, de quibus pauca nostro more subjicimus. Degebat Riberam in collegio Manilano cum eximia fama virtutis, atque doctrinæ, nec alius ferme tota provincia putabatur esse, qui tantam cum insigni sanctimonia conjungeret divini humanique juris intelligentiam. Vir propterea apud summos infimosque consultissimus, magnam obtinebat apud omnes ordines auctoritatem. Ipsi magistratus, tum civiles, tum sacri, in ambiguis negotiis Riberam consulebant, nec quidquam momenti gravioris, nisi ex ipsius sententia decernere audebant. Ejus responsis pondus addebat pietas, quæ cum doctrina tam excellenti certabat. Ab ipso tirocinio niti coeperat ad religiosæ perfectionis apicem contentione summa, nec deinceps usque ad obitum de ardore illo primo unquam remisit. In piis meditationibus, quarum usum habebat assiduum, mira mentis dulcedine perfundebatur, gustabatque suavitatem illam omni humana majoram potioremq; quam talium rerum experti quietem vocant. Sic animum excolens, corpus redigebat in servitutem, interdieto sibi vel aspectu earum rerum, quæ humanas cupiditates blando lænocinio, & illecebra voluptatis proritant. Multis, præsertim in extrema ætate, conflabatur morbis, & permolestis: scabie, pustulis, respirandi difficultate. Totum illi corpus fœdo modo ulcerosum. Hæc tamen incommoda cumulabat voluntario cruciatu, Deo vivens tantum, sibi quotidie moriens. Vivere desiit ad Nonas Junii, annum ætatis agens quinquagesimum septimum, ab inita Societate quadragesimum: ejus vero funus universa civitas non minori frequentia, quam lætu duxit. Natus erat Angelopoli in nova Hispania, parentibus in illa colonia spectatissimis. Nomen Societati dederat annum decurrens duodevigesimum, eamque adolescenti mentem injectam ferunt obitu immaturo sororis, cujus venustas & forma toto erat oppido celebris. In ejus vultu fœde corrupto perspicuus Joannes, quam vere dictum sit: *Fallax gratia, vana est pulchritudo*, totum ad cœlestia se converterat. Translatus e provincia Mexicana ad Philippinas, nunquam deinde induxit animum ut remearet in Mexicum, quamvis id liceret per moderatores, & ab ipsius consanguineis incredibili studio posceretur. Verebatur scilicet, ne cæteris de Societate exemplo esset deserendi operis, ad salutem Indorum semel suscepti. Frater Gaspar Gomez, etsi domesticis ministeriis addictus, eximii ingenii, & miræ in rebus gerendis dexteritatis laude floruit. Sub ipsa nascentis provinciæ primordia, totam sustinuit rei familiaris, & ædificiorum procuracionem Manilæ. Inde missus a Prætoribus Philippinarum ad aulam Matritensem, qua pollebat prudentia ac dicendi facultate, magnæ molis negotia solerter admodum, feliciterque confecit. At supra naturæ dotes longe in Gomezio eminebant religiosæ virtutes, obedientia præsertim, demissio animi, & irreprehensa legum domesticarum custodia. In senectute extrema adduci nunquam potuit, ut vacatione muneris uteretur, quam seni emerito ætas, & majorum consensus concedebat. Datus itaque œconomus collegii Manilani socius, ei subservire perrexit usque ad extremum. Tali autem observantia respiciebat hominem,

172.
Obitus & elogium Fratris Gasparis Gomez.

minem, sui ceteroqui gradus, ætatis vero, & experientiæ longe minoris, ut ad singulos ejus nutus præsto esset, nec unquam aliquid mallet, quam quod ille faciendum existimaret. Obiit Manilæ, uti vixerat, sancte ac placide, expletis in Societate annis quinquaginta.

Talium moerorem funerum ex parte minuit adventus sociorum viginti, qui missi anno superiore ex Europa, nunc circa finem Junii Philippinas insulas attigerunt. Principio Lamponem delati sunt, Lusoniæ portum, ibique paululum subsisterunt. Sed cum in eo portu naves adhuc post plures dies resstantibus austris detinerentur, longiorem rati moram, nec ferentes prorogari sibi tandiu apostolicos, ad quos veniebant, labores; quod supererat viæ usque Manilam, per abrupta montium atque avia pedibus peregerunt. Excepti mira sociorum gratulatione, ob exitum difficillimi itineris Numini gratias persolverunt. Illa tamen re angebantur, non omnes qui ex Europa solvissent pervenisse pariter in Philippinas. Nimirum cum navigandum fuit ex Mexico, duabus impositi fuerant navibus magno vectorum numero jam occupatis, atque ita refertis, ut alios ægre caperent. In illa angustia nostri quod loci relictum acceperant, alii supra testum navis, alii prope infimos sinus, inter onera & commeatu: illi injuriis temporum dies noctesque expositi, hi calore immodico, ac situ enecti. Nescias utri incommodius, molestiusve haberent. Accessit in ipsa navigatione susceptus sponte labor concionandi, confessiones audiendi, opitulandi omnibus. Quæ dum Patres nullo valetudinis suæ respectu gerunt studiosius, ægrotaverunt plerique, quatuor laboribus & arumnis fracti perierunt. Prævit omnibus P. Ludovicus Marincola, e provincia Neapolitana Sacerdos, cujus præcipue animum nullis infractum laboribus periculivse laudabant. Marincolam proxime excepit P. Didacus Alexander, in eadem ille quidem provincia natus, sed Romæ in Societatem adlectus. Hunc ferunt studio quodam singulari fuisse addictum S. Bernardino Senensi, cui præter alia beneficia, expeditionem indicam referebat acceptam. Et notatum est, ejus mortem longius quam putabatur extractam, incidisse demum in XIII. Cal. Junii, diem Bernardini natalitium. Subsecutus est Pater Franciscus Joannellus, quem sodales ceteri tanquam exemplum absolutæ perfectionis intuebantur. Sane cunctis præfulgebat pietate, humilitate, modestia, quas virtutes piarum meditationum usu assiduo alebat, augebatque. Extra præfinita orandi spatia erigere subinde mentem in Deum solebat, quem ubique præsentem circumspiciebat. Hunc etiam sibi subtraxerat provincia Romana, ut strenuum operarium daret vineæ Philippinensi. Quarto demum loco, & in ipso Philippinarum conspectu mortuus est Frater Ludovicus Hernandez, domestici ministerii adjutor, vir ille etiam probatæ virtutis, & in suo gradu valde laudatus. Sed stilum convertamus in Mexicum.

In urbe regni Mexicani sede gravis hoc anno exarsit tumultus, ad quem sedandum profuit non nihil auctoritas & industria nostrorum. Vir nobilis, sed legibus reus, confugerat in ædes religiosæ cujusdam familiæ pro jure asyli. Eum nihilominus Prorex capi vinciri que jussit, frustra Archiepiscopo reclamante, & loci immunitatem objectante. Mox, ut invidiam violatæ religionis a se depelleret, vocatis ad consilium theologis, expendendas in communi proposuit rationes, ob quas videbatur sibi juste sapienterque fecisse. Consultationi non interfuit de Societate nisi P. Joannes Ledesma, qui solitus quod sentiret aperte proloqui, factum liberrima voce improbavit, & tuendum jus Ecclesiæ suscepit, vanis rationibus veriores solidioresque opponens. Loquentem superbe interfatus Prorex, aliorum sententias perrogavit: quibus vel tacentibus, vel ærgiverfantibus, consentire eos ratus qui loqui libere non auderent, perrexit novo ausu malam causam facere deteriorem. Archiepiscopum, tanquam reipublica perturbatorem, amandavit procul in arcem, propterea quod præsidium regii auditorii implorasset. Vim iniquam repellere Antistes non potuit. Prius tamen quam in arcem exportaretur, proposuit palam edictum episcopale,

To. I.

N n n 2

pale,

173.

Adventus in
Philippinas vi-
ginti Sociorum.

174.

Quibus inter
navigandum in-
commodis la-
boraverint.

175.

Eorum quatuor
in ipsa naviga-
tione extincti.

176.

RES

MEXICANÆ.
Prorex vim in-
fert Ecclesiæ,
& Archiepiscopo
po.

177.

Populus conci-
tatur contra
Proregem.

pale, quo civitati justitium factorum indicebat. Hinc orta seditio. Populus oclusa videns templa, nullas in urbe religiones, se rerum sacrarum usu prohibutum, exarsit continuo contra Proregem. Cocunt innumera multitudo omnis ætatis & sexus, ad prætorium convolant, clamore incondito vociferantes, & iram Numinis auctori tantæ calamitatis imprecantes. Audita etiam, voces minitantium ferociter, & violatorem religionis ad poenam deposcentium. His vocibus conterritus Prorex, abdiderat sese in occultissimas latebras, certus inde pedem non efferre, nisi prius seditio quievisset. Interim abjecta ab eo gubernacula suscipientes auditorii regii Senatores, nostros evocant ex domo Professorum, jubentque pacare sævientem plebem, & ad quietem pristinam revocare rem publicam. Patres jussa celeriter exequentes, quantum conari auctoritate & gratia poterant, dederunt operam, ut furenti populo arma detraherent: non tamen impetraverunt, nisi his conditionibus. Primo, ut Prorex abdicato magistratu in ordinem redigeretur. Deinde, ut revocatus in urbem Archiepiscopus templa recluderet. Durior Proregi videbatur conditio prior: acquievit tamen, quia non aliam patere intelligebat salutis viam. Quo uti convenerat exauctorato, plebis ira detumuit. Adeo apud multitudinem validior interdum est vis religionis, quam imperii.

178.
Nostri seditionem componunt.

179.
Deteguntur occulti idololatrarum, & ab impietate abducuntur.

180.
Granatenfium insignis benevolentia erga nostros.

181.
Fundatur collegium Societatis Potofii.

182.
Res geste in Cinaloa, &

Rem momenti gravioris peregit eodem tempore P. Ildephonsus Valentia Realtii, in oppido provinciæ Nicaraguæ. Intellexerat, nescio quibus indicibus, multos adhuc ibi esse cultores idolorum, licet externa specie Christiani censerentur. Monuit statim Episcopum, acceptaque ab eo potestate questionem instituendi de cultu superstitioso, sexcentas detexit demonum formas, quas illi clam adorabant. Malum, si semel detectum fuerit, ex parte curatum vulgo creditur. Hujus quidem pestis facillima curatio fuit. Valentia de magnitudine criminis tam apposite peroravit, ut fontes impietatem suam multis cum lacrymis execrantes, admissi veniam petierint. Recepit eos in Ecclesiæ gratiam Antistes. Dimissa tamen ceteris poena graviore, auctores sceleris præcipuos ecclesiæ Societatis servire per triennium jussit Realtii, ut a Patribus erudiri per otium possent: namque id potissimum spectabat servitutis obtentu. Quibus jussa facientibus, labes illa omnis, eo nocentior, quo occultior, excisa est. Granatæ interim cum increbuisse rumor, collegium illud Societatis certis de causis dissolutum iri, perspicere licuit quanto nostri homines in amore & pretio essent apud civitatem. Commoti rumore non vano civium primores, præter alia ad Patres retinendos adhibita, litteras communi nomine exararunt ad Comitum de Gomera auditorii Guatimalensis præsidem, quarum hæc ferme summa. Non posse verbis explicari fructum, quem ex ministerio Societatis cepisset hætenus civitas Granatenfis, ac porro caperet. Ad oculum perspicere, quantum quotidie in melius proficerent civium mores. Agendum omnino cum Præposito generali, ac si res ita ferret, etiam cum Rege, ne Patres abducerentur. Ac post alia ejusdem generis, ita claudebant epistolam. *Si classes Anglorum, quas nuper infestas experti sumus, hos expugnassent portus, atque incendiissent, non tantam accepisse cladem videremur, quantum instare arbitramur, si discedant homines Societatis.* Sic illi pro egregia sua erga nos voluntate. Cæterum dum Societas de Granata deferenda cogitabat, novum ex insperato collegium accepit in oppido Potofino. Titulum fundatoris retulit vir spectatæ pietatis, & nota in pauperes beneficentiæ, Joannes Zabala. Nam cum ex frequentibus nostrorum excursionibus comperisset, quantas populis utilitates afferret eorum labor, ex amplissima hæreditate, quam pauperibus relinquebat, partem legavit Societati, cum hoc ut Potofii collegium excitaret. Coeptum est hoc ipso labente anno collegium, & a S. Ludovico nominatum.

De progressibus religionis inter barbaros Cinaloenfes nihil se offert adjiciendum ad ea, quæ ante triennium memoravimus, nisi excessisse hoc anno numerum renatorum ultra undecim millia. Itaque cum placuisset omnium-

neophytorum, quos ea regio numerabat, censum peragere, reperti sunt octoginta quatuor millia omnino, & si quid amplius. At dum augentur numero neophyti, multos ex eo grege detraxit lues exitialis inter Parrenses exorta, & huic addita, ut ferme solet, annonæ caritas: duo mala longe gravissima, quibus plerique miserandum in modum prosternebantur. In rebus tam afflictis non defuit genti miseræ charitas, & industria nostrorum. Accurrebant solliciti quocunque vocaret necessitas: languentibus dies noctesque assidebant: nihil non experiebantur ut ægri, aut convalescerent, aut cum spe vitæ melioris decederent. Multi per hanc occasionem auditi rite confitentis, quæ diu male celaverant: multi ab initis cum demone pactationibus impiis liberati. Namque, ut hoc non præteream, vix credibile, quam multis modis ille hostis humani generis infensissimus illuderet rudi populo, ejusque abuteretur vecordia, ac tarditate. Dum grassabatur quam dixi pestilentia, videndum se exhibuit terrifica specie quibusdam paucis indigenarum, eamque arumnam a se immisam dixit, pœnas ut fumeret perfidia, qua maluissent extraneum amplexari cultum, posthabito se, veteri ac proprio gentis numine. Addidit, nunquam factum iri ultioni modum, nisi ad ritum pristinum rediissent. Viderent itaque quid facto esset opus: & siquidem extinguere pestilentiam vellent, totos quatuor dies choreas ducerent in honorem sui. Id si facerent, tunc demum infortunium depulsam iri. His irretiti mendaciis e populo multi, quatuor ipsos dies perpetuis saltationibus exegerunt quasi lymphati, aut amentes, quo labore quidam vix non exanimis corruerunt. Sed cum nihil propterea remitteret morbi savientis vis, agnoverunt veteratoris nefarii fraudem, seque sistentes Patribus, crimen multo cum fletu confessi sunt. Similem adorna-
 verat fraudem avernalis spiritus uni cuidam neophyto Vallisoleti (non illam dico urbem Castellæ prænobilem, sed aliam ejusdem nominis in provincia Mechoacana), nisi misero divina benignitas præter communem modum affuisset, & perituro opem præsentem S. Ignatius attulisset. Res est digna scitu, & ob exempli utilitatem non tacenda. Quartum jam annum curabatur iste in publico urbis nosocomio, sed frustra. Erant qui exitialem illi pestem afflatam putarent malis veneficarum artibus: adeo ignoto ac pertinaci morbo extabescibat. Extrema homini macies. Forma quasi cujusdam larvæ. Corpus exsiccum, luridum, cadaverosum, vibicibus undequaque lividum, ac semper tremens. Vox admodum exilis. Multo tamen agrior mens, quippe multorum scelerum sibi conscia, ac semper reputans, hinc atrocitatem flagitiorum suorum, inde æternæ mortis decretum ut prorsus ineluctabile. Agitatus perpetuis conscientia stimulis, & veniam desperans, nunc laqueos cogitabat, nunc præcipitia, tanquam miseriarum exitum optatissimum, atque unicum. Nec vero per ipsum stetit, ne periret. Quater adiit vicinum flumen, præcipitè se daturus. Quater occulta voce retractus est. Laqueo collum implicuit sæpe, ac se projecit e trabe. Semper in terram decidit salvus, fune mirum in modum abrupto. Novissime, deliberatum ac fixum habens angores interitu voluntario finire, captata nocte concubia, ne quis adesse posset interpellator, restè prævalida se suspenderat. Affuit nihilominus momento eodem ignota actus vi curator nosocomii, & abscisso celeriter fune, invitum servavit. At simul misit ad collegium Societatis, ut accurreret aliquis Patrum. Unus advolvit continuo: quem tamen ille torvis oculis, & turbido vultu contuens, jubebat procul abstinere. Nam quid tandem sibi vellet ab homine, cujus desperata esset salus? Actum esse de se. Vetare diabolum, ne quod admitteret corporis animæque remedium. An vero, adjecit, non vides adstantem, mihique jam fauces adunca manu comprimentem? Quæ cum diceret, foedis sese motibus agitabat in omnem partem. Cohorruit ad eas voces Sacerdos, sed animum non abjecit. Provolutus in genua, Numinis misericordiam imploravit. Tum, depromptis quas attulerat secum reliquiis B. Patris Ignatii, aggreditur hominem propius, eique quas dixi reliquias admovet. Mirum dictu! Eo contactu, reser-

maxime inter
Parrenses.

183.

Quidam infami fraude decepti a demone.

184.

Memorable exemplum divinæ misericordie.

185.

Mira vis reliquiarum Sancti Ignatii.

dit

dit momento lymphatæ mentis astus: æger in alium pene hominem versus est. Sacerdotem utilia suadentem audire jam pronis auribus, & vera loqui dicere. Tandem in spem veniæ erectus, animæ labes largo fletu, & confessione purgavit. Sic expiatio, pacatoque habendam reliquerat Sacerdos Ignatii icunculam, adversus diaboli molestias præsidio futuram. Eam perpetuo gestans æger, non solum nullis animi intemperis deinceps est conflictatus, sed intra paucos dies revaluit etiam corpore, novumque vitæ cursum ingressus est eo dignum homine, qui beneficio Numinis singulari ab utroque interitu corporis animaque vindicatus fuisset.

186.
Obitus & elogium P. Joannis Alvarez.

Quædam acciderunt circa idem tempus funera, quorum est memoria analibus consignanda. P. Joannes Alvarez, cum esset in ipso robore ætatis, diem clausit extremum Angelopoli, ubi ante annos vix quadraginta editus in lucem fuerat, parentibus genere ac pietate inclytis. Adolescentem in spem non humilis fortunæ educatum ipsa Deipara, ut ferunt, intimo pulsû cordis ad in-eundam Societatem impulit. Sane visum in ea deliberatione superiore vi regi consilium ejus. Nam cum fuisset primo rejectus duriter a Præposito provinciali, mox subita conversione voti compos est factus. Ab ipsis religiosæ vitæ primordiis eas sibi præsnivit vivendi leges, quæ decerent clientem Virginis tam eximio devinctum beneficio. Nihil illo modestius, nihil in omni domestica disciplina diligentius. Peractis studiorum orbe, destinatus est ad erudendos barbaros in illo montium tractu, cui a S. Andrea nomen fecerunt Hispani, nec est dictu facile, quantum ibi per novem annos desudaverit, & quanto fructu. Senferat, ad capiendos gentis animos multum valere modos musicos. Hanc ergo artem didicit, & pueros incredibili patientia docuit. Primus in illis montibus sacras ædes, quæ hæcenus mera fuerant mapalia, opere solidiore, & elegantiore forma construxit. Idem plures familias barbarorum e suis eductas latibulis in unum contraxit oppidum, constrinxitque socialis vitæ legibus & institutis. Et quia incommodus ad aquandum erat locus, ne qui propterea dilaberentur, ad eum locum corrivavit brachium fluminis ingenti fossa, quam per tria circiter millia passuum deduxit. Tot beneficiis, & nativa comitate, ita suum sibi devinxerat gregem Alvarezius, ut haberetur communiter in parentis loco. Hanc suavissimam caritatem tunc maxime licuit æstimare, cum moderatores eum coegerunt natale solum repetere, ad reparandas vires laborum magnitudine plus nimio attritas. Mœsti tunc supra quam dici possit neophyti, & absentis desiderium non ferentes, scripserunt ad Provinciale communes litteras, reddi sibi postulantes optatissimum Patrem, qui si abesse pergeret, magnam instare christianæ rei perniciem denunciabant. Illorum querimoniis permotus Provincialis, significandum curaverat Alvarezio, ut si quo modo posset, rediret ad suos neophytos. Sed cum has accepit litteras, eo jam decumbebat morbo, quo mox interiit. Morbum porro contraxisse creditur, cum ob immensos labores ministerii sui, tum ob voluntarias corporis innocentissimi afflictiones, quas ultra omnem modum adhibebat. Ut nihil dicam de verberationibus crebris, ac fere semper cruentis, aliisque id genus cruciatibus, in victu quotidiano nihil gustabat, præter frumentum indicum, & frigidam. Inde languor stomachi cibos paulatim omnes respuentis, inde macies extrema, ac demum mors ante diem.

187.
Mors & elogium Fr. Joannis Baptistæ Espinosa.

Non sane immaturo occubuit funere Frater Joannes Baptista Espinosa, annos quippe vivendo supergressus centum & unum. Ejus tamen obitus dolorem asperlit sociis, quibus cara hominis religiosissimi vita, & adhuc exemplo utilis. Vixerat apud se usque ad annum sexagesimum: qua ætate licet videri posset in vineam missus circa horam undecimam, non ideo brevi perfunctus est in ea labore: reliqui enim fuerunt anni amplius quadraginta. Priorem vitæ partem inter varios fortunæ casus exegit. Natus erat Valentia. Simul ac parentes composuit, transectus est Melitam cum viro nobili, cui se famulum addixerat. Post sexennium, dum navigat in aliam nescio quam terram plagam, captus

captus a pirata Tripolitano, in servitutem venundatur. Quatuordecim annos hero Mahometano servivit, suamque illi fidem probavit usque adeo, ut diligenter vehementer a barbaro, magisque ut curator domus, & administer, quam ut emptum mancipium haberetur. Nihil non movit Mahometanus, ut carissimum servulum a Christi cultu ad Alcoranum traduceret, aut saltem ut de castimonia deiceret. Sape ad eum immisit noctu incitamenta libidinis. Sape promissis, interdum etiam minis, atque verberibus conatus est constantiam fortissimi juvenis expugnare, sed irrito semper conatu. Lusit illum denique Espinosa, & oblata occasione ad fugam usus, evasit in Siciliam. Inde in Hispaniam reversus, post longas peregrinationes & varias, quas referre non vacat, venit postremo in Mexicum. Hic, audita nostri sacerdotis concione, exarsit sanctioris vitæ desiderio, & Societatem petiit. Multa obstabant ne petitor reciperetur, ætas præsertim nimis provec̃ta. Sed omnia vicerunt optimi senis preces & lacrymæ, quibus vim ingentem addidit quadam eximie probitatis opinio, quam publice obtinebat. Accessit testimonium nostri sacerdotis, qui ejus conscientiam cum haberet intime perspectam, sancte affirmabat, vixisse Espinosam inter mille vitiorum illecebras mira innocentia. Receptus itaque est inter fratres domesticæ rei curatores, quodque superfuit vitæ spatium inter laboriosissima ministeria traduxit, nulla unquam excusatione atatis, aut virium. Nutus majorum ut leges observabat, prævertebatque. Paupertatem colebat tam exacte, ut nihil apud se haberet, præter sacratum cereum, & libellum illum aureum Thomæ a Kempis de imitatione Christi, quem diebus singulis volutabat. Castitatem incredibili cura, ac prope superstitiose custodiebat. Senex ætatis decrepita, totque pugnis & victoriis clarus, colloquia, feminarum quantum poterat refugiebat, etiam si vetula illæ essent, aut pietatis fama spectabiles, nec eas assidere sibi propius unquam patiebatur quacunque causa. Quo in genere eo usque progressus est, ut ne solita quidem salutationis verba cum illis misceret, parum metuens notam inurbanitatis, modo salva esset pretiosissima rerum pudicitia. Propter hæc, aliaque sanctimonie documenta, ingens erat Espinosæ existimatio Vallisoleti, ubi ultimam vitæ partem traduxit. Illum universa civitas ut virum insigniter sanctum observabat. Illo Antistes urbis familiarissime utebatur. Solus despiciebat ipse se, solus odebat. Nulla illi potior cura, quam ut Deo, ac moderatoribus suis, quippe Dei vicariam potestatem gerentibus, satisficeret. Fuit cum Præsuli ad colloquium invitanti, modeste quidem, sed libere sui copiam negavit, propterea quod suo tunc distineretur ministerio in culina, nec opus divina voluntate cœptum intermittere fas putaret. Quod vacuum relinquebatur ab officio tempus, piis precibus totum impendebat in suo conclavi, idque fenestris omnino clausis, ne alio mens vagaretur. Studio precandi deditus præsertim fuit sub vitæ finem, cum propter ætatem ab omni munere vacare jussus est. Mortem lætus oppetiit Vallisoleti xii. Cal. Maji, eique religiosa familia plures, & Canonici suprema peregerunt. Nostri vero eo accidit acerbius viri desiderium, quod in gravioribus collegii negotiis solebant ad ipsius preces confugere, earumque sæpe efficaciam experiebantur. Atque hæc de rebus Mexicanis.

Narrationem labentis anni claudere libet in Brasilia. Vidimus ante annos septem missos Pernambuco Patres Emmanuelem Gomez, & Didacum Nunez in Maranionem, amplam terræ plagam tunc primum imperio Lusitano adjectam. Post illud tempus, digressis quos dixi Patribus, nemo illuc transfuderat de Societate: non quod deesset nostris voluntas, sed quia Rex, motus parum equis nonnullorum relationibus, maluerat ad ejus soli culturam religiosos alterius ordinis adhiberi. Sed quamquam ita esset, magna judiciorum commutatio facta est Matrili, simul atque Brasilia præturam est consecutus Didacus de Mendoza. Vir æquissimus, non ex aliena fide res Maranionis æstimans, sed coram intuens, ut facile intellexit quid illis subesset relationibus, ita consilio Indico haud difficulter persuasit, adeo non esse arcendos Maranione nostros,

ut

188.
RES BRASILIÆ.
Mittuntur duo
Patres in Maranionem.

189.
Duriter exci-
piuntur a Lusit-
anis, & quare.

190.
Mutant Colo-
norum animi.
Patres rem uti-
liter gerunt.

191.
Cur solis ope-
ram navarent
Lusitanis.

192.
Expediio olim
incaustum susce-
pta ad Mariver-
des.

193.
Instauratur
nunc a P. Joan-
ne Martinez.

ut potius eorum præsentia, tum e divino obsequio, tum etiam e rationibus Regis futura esset. In hanc sententiam cum perscripsisset Matritum, & exe-
quendi propositi sui veniam impetrasset, Societatis Præpositum provincialem
perpult, ut par sociorum mitteret in Maranionem. Missi continuo sunt duo
lectissimi, P. Ludovicus de Figueira, & P. Benedictus Amodei. At non eo-
dem excepti sunt a colonis Lusitanis animo, quo Mendoza mittendos cura-
verat. Exarserunt plerique seditionis in morem, & vix appullos cogebant
pedem referre, nisi tumultum regius Præfectus, partim vi, partim auctoritate
compressisset. Adeo ferre pacate non poterant prædatores indigenarum colo-
ni, esse ibi qui contra eorum rapacitatem tutarentur libertatem Indorum,
hosque abripi in servitutem prohiberent. Namque hæc odii causa unica, cui
alias prætexere conabantur frustra. Repressi, ut dictum est, a Præfecto, etsi
vim a duobus Patribus abstinerent, id saltem moliri omni ope statuerunt, ut
inde statim revocarentur. Eo consilio scribunt ad Mendozam, ut Maranionis
finibus interdicat Jesuitis, quorum gravem sibi esse præsentiam affirmabant, rei-
que publicæ noxiam. Simul libellos contestationis in acta publica referunt.
At nihil profectum. Rescripsit Prætor indignatione liberrima, mirari se ve-
hementer, quid venisset illis in mentem tales ejicere homines, qui fuissent
ultra arcessendi, nisi adessent. Se Societatem in ea colonia constitutam velle,
cum alias ob causas, tum præcipue quod intelligeret, opera Societatis Jesu
confirmandam esse Regi possessionem novæ provinciæ, ejusque fines amplifi-
candos. Viderent proinde, ne quid contra Patres molirentur in posterum.
Sic ille. At cum hæc in Maranionem responsa pervenerunt, mutaverant jam
multum animi colonorum, aliisque Societas oculis aspiciebatur. Conversio-
nem istam effecerat consuetudo ipsa Patrum nulli molesta, affabilis, religio-
sa, & publicæ rei non inutilis: quibus rebus cum accederent postmodum quas
dixi Prætoris litteræ, adeo inclinati sunt erga nos plerique, ut jam rebus no-
stris impense faverent ii quoque, qui modo acerrimi fuerant adversarii. Vi-
cissim Patres, bene de omnibus mereri studentes, nullamque omittentes labo-
ris & industriæ partem ad provehendam privatim ac publice pietatem, eosdem
sibi magis in dies singulos demerebantur. Præter alia, ut administrari sacra,
decentius possent, templum sibi struxerunt ex cæmentis calce duratis, quod
primum in Maranione fuit ejus generis ædificium, ac Lusitanis gratissimum
accidit. At enim extra Lusitanorum coloniam nihil erat, quo se posset effun-
dere nostrorum labor. Ne indigenis etiam navarent operam, vetabat manipulus
sacerdotum e sacro Minorum ordine, qui cum sub idem tempus venisset in
Maranionem, attulerat diploma Regis, ne conquirendis, instituendisque ad fidem
barbaris alii præter eos religiosi adhiberentur. Ita nostris aliquandiu nihil ne-
gotii cum indigenis fuit. At post annum circiter sextum, cum illa cura se ab-
dicassent, nescio quibus rationibus, Franciscani, subingressa est in eorum
locum Societas, ut suis infra locis disseremus, & relictam ab ipsis procura-
tionem suscepit. Sic interim gesta res extra Brasiliæ continentem.

In ipsa Brasilia satis feliciter hoc anno desudarunt operarii Societatis, non
tam illata ad novos populos religione, quam, quod utilius putabatur, novis
populis ad religionem, & ad colonias Lusitanorum adductis. Ultra præfectu-
ram S. Spiritus millia passuum fere quadringenta, mediterraneam ejus plagæ
regionem incolebant barbari, quos Mariverdes vocabant. Natio æque ferox,
& inculta, ac sola nominis infamia cognita, quaesita sæpe a Lusitanis, nun-
quam inventa fuerat. Ante biennium ad eam conquirendam profecti duo no-
strorum, P. Joannes Fernandez Goto, & P. Joannes Martinez, cum diu sal-
tus invios, montesque prorsus inhospitales oberrassent, redierant non solum re
infecta, sed prope desperata: ac Fernandez quidem laboribus consumptus obie-
rat. Non ideo tamen despondit animum P. Martinius. Rursus se dat in viam
hoc anno, ac difficillimam expeditionem repetit. Viæ comites pauci neophy-
ti: duces ex ethnicis quidam, qui notas sibi esse Mariverdium sedes profite-
ban-

bantur. At ecce tibi in medio itinere, sive fraus ea fuerit, sive error, dif-
fugiunt præclari duces: certe comitatum relinquunt. Eo casu cæteri conster-
nati Martinio auctores erant iter relegendi, quippe in nulla spe perveniendi
quo tendebant. Ita suadentibus restitit Sacerdos invicto animo, pervicitque ut
secum porro pergerent incredibili inter sexcenta incommoda alacritate. Mul-
tos procefferant dies, quin uspiam vestigia detegerent humani cultus: cum
subito apparuere nec opinantibus crebra mapalia, quælitæ Mariverdium se-
des. Eo aspectu exilire omnes gaudio, ut ad optatissimam via metam: om-
nes felicem laboris exitum sibi gratulari. Sed post paulo turbari iterum, ex-
cipiente latitiam ingentem majori formidine. Barbari ad conspectum subeun-
tium advenarum, suspicati agmen esse Lusitanorum ad prædas hominum suo
more discurrentium, momento coeuntes, expediunt arma raptim, prodeunt
minaces infestique, certam venientibus necem intentant, nisi abstant procul.
Martinius caduceatorem præmittit, qui genti Mariverdium pacem & amicitiam
offerat. Illi ut edoceri sunt, qui essent hospites, unde, & cur venirent, fe-
rociam posuerunt, Sacerdotem Christianorum comiter exceperunt, & de futuro
hominum statu, aliisque religionis capitibus differentem audierunt. Summa
exoritur admiratio. Nulli mens a lege sanctissima, quæ nunciabatur, aliena.
Verum id modo agebat Sacerdos prudens, ut silvicolas & rudes homines secum
traheret ad coloniam S. Spiritus: nec enim putabat viros tales christianis in-
stitutionibus imbui fatis posse, nisi barbariem exuerent prius, & legibus vitæ
civilis paululum consueverent. Tandiu insistit suadere, donec plerisque per-
suasit ut se duces sequerentur ad oram maritimam, ubi & erudiri commo-
dius, & honestius etiam vivere inter Christianos possent. Et demigrabant pro-
tinus magno numero, si affuisset viatici copia itineri necessaria. Quod tunc
licuit, septem suæ gentis adolescentes Martinio abducendos tradidere veluti
obsides, obligata fide publica, si redisset anno proximo, omnes pariter di-
fessuros. Lætus qualicunque successu Sacerdos, avexit exiguam prædam in
coloniam S. Spiritus, nec dum elapso penitus anno, ad suos Mariverdes cum
P. Antonio Bellavia rediit. Tot mensium intervallo nulla, quod mirum videat-
ur, facta fuerat in tam mobilibus ingeniis mutatio animorum. Martinium
summi pariter atque infimi, non solum cupide, sed etiam anxie præstolaban-
tur. Itaque reducem læti suscipere, profitentesque velle se omnino promissi
fidem servare, Patribus se ducendos permisere. Erat hominum multitudo pro-
pe innumera. Ne unus quidem inventus, qui a cæteris dissentiret. Incensis
igitur antiquis domiciliis, cum iisque omni spe reditus sibi exempta, longum
ac difficile iter ingrediuntur. Deducti sunt triginta circiter dierum spatio,
donec opportuno in loco consistere prope coloniam S. Spiritus, atque ibi
sedem posuere. At vix pervenerant, cum plerisque infecit pestilens tabes pu-
stularum, malum Brasiliæ oram maritimam incolentibus frequens, & adhuc
Mariverdibus inexpertum. Hic enimvero licuit agnoscere, quantum supra na-
turam humanam valeat gratia coelestis. Affligebantur passim molestissimo ac
diro morbo novi oppidani, multi interibant. Nullus propterea ad veterem
patriam, aut ad majorum superstitionem respexit. Conveniebant in ædem sa-
cræ turmatim: iram superum gemitu multo, ac fletu deprecabantur: mali
remedium a Deo, a divina Matre quærebant eoque sensu pietatis, ut hæc in-
tuentes Patres ægre a lacrymis temperarent. Interim, ut quemque lues inva-
ferat, accurrebant ad eum nostri, quam poterant opem ferebant, petenti ba-
ptismum impertiebant. Nemo neque adultorum, neque infantium decessit,
nisi hoc sacramento initiatus. Quod quidem in tanto mœrore Patribus haud
levi solatio fuit.

Eodem tempore coloniam Portus securi Societas statione fixa occupavit,
de qua re hæc in monumentis invenio. In eam coloniam venerant ante ali-
quot annos duo præstanti virtute Patres, Matthæus de Aguiar, & Fabius
Moyus, ut opus evangelicum facerent: fecerant vero per sex menses approba-
tione

Ta. I.

O o o

tione

194.
Mariverdes ei
se dociles præ-
bent.

195.
Transferuntur
in coloniam
S. Spiritus.

196.
Corripiuntur
gravi lue, ne-
mo tamen dila-
bitur.

197.
Nova statio
constituitur in
colonia Portus
Securi.

198.
Obitus P. Gonzali de Oliveira, & vaticinium V. P. de Anchieta circa illum.

tione omnium tanta, ut indigenæ pariter ac coloni habendæ Societatis desiderio flagrarent. Dant ergo communi consilio litteras ad Præpositum generalem, ac ne coloniam suam indignam putet Societatis domicilio rogant. Quibus id porro rogabant litteris, pariter recipiebant, se licet in re admodum angusta; omnia vitæ subsidia Patribus de suo præbituros, ac ne quid illis deesse curaturos. His rebus cognitis Mutius, gratias prolixè agens amatissimæ civitati, permisit nostris, ut in colonia Portus securi sedem perpetuam ponerent ex earum genere, quas residentias vulgo dicimus. Jam longum sit equi, quibus benevolentia signis admissi primum fuerint in illam urbem Patres. Adventantes excepit civitas, non solum concursu omnium ordinum frequentissimo, verum etiam lato aris campani pulsu. Tum inter fausta populi acclamationes eosdem ad templum loci primarium, ac deinde usque ad paratum domicilium deduxit. Nullum honoris & gratulationis argumentum est prætermisum. Sed lætitiæ publicæ civitatis cumularunt aliqui præsertim civium, qui cum inimicitias exercerent inveteratas, & multorum judicio implacabiles, deprecatione Patrum sibi invicem de præteritis injuriis satisfecerunt, & concordiam inter se pristinam redintegrarunt. Atque hic erat status rei Brasiliensis anno labente. Addendum postremo loco funus P. Gonzali de Oliveira, cum ad commendationem ipsius, tum præsertim ne ex hominum memoria excidat vaticinium illustre venerabilis Patris Josephi de Anchieta, quod in ejus obitu impletum est. Gonzalum semel atque iterum moderatores dimiserant Societate. Eum nihilominus non obscure prædixerat Anchieta in Societate moriturum. Constitit oraculi fides cum minime sperandum videbatur. Gonzalo annum ætatis septuagesimum superanti voluntas repente incessit repetendæ Societatis, atque eam Deus mentem indidit Provinciali, ut hominem id ætatis, nec tam usui, quam oneri, ut videbatur, futurum tertio reciperet. Ut vero appareret altioris id fuisse consilii, quod reliquum habuit vitæ Gonzalus ita inter nos exegit, ut superioris inconstantia maculam excellenti virtute deleverit. Sexennio ante mortem oculis captus, gravissimam arumnam miræ oris atque animi tranquillitate pertulit, tempus utiliter quo poterat modo impendens audiendis pœnitentibus, & rebus cœlestibus meditandis. Ita cum vixisset naturæ satis, coelo maturus decessit.

